

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

SCHEMA CANONUM
DE MODO PROCEDENDI
PRO TUTELA IURIUM
SEU DE PROCESSIBUS

(*Reservatum*)



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXVI

NOTIFICATION


Prosequendo consultationem circa parata schemata, mittitur ad Episcopos, per Conferentias Episcopales, ad aliaque Organa consultationis (Dicasteria Curiae Romanae, Unionem Superiorum Generalium et Universitates studiorum ecclesiasticorum) schema canonum de modo procedendi pro tutela iurium seu de processibus, quo universa disciplina canonica de iudiciis recognoscitur iuxta Decreta et spiritum Concilii Oecumenici Vaticani II, necnon iuxta « Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant », a Synodo Episcoporum approbata.

Quae omnia tum in expositione motivorum quae schemati apparando praefuerunt, tum in ipsa parte dispositiva documenti perspicue prostant.

Consultatio fit iuxta normas a Praeside uniuscuiusque Organi consultivi statutas.

Tempus utile ad responsiones huic Pontificiae Commissioni mittendas usque ad finem mensis septembris proximi anni 1977 datum est.

Romae, die 3 novembris 1976.



A handwritten signature in black ink, appearing to read "Pingedoli Card. Giacomo". The signature is fluid and cursive, with "Pingedoli" at the top, "Card." in smaller letters in the middle, and "Giacomo" at the bottom. There is a small horizontal line or flourish to the left of the signature.

Cum Coetus studiorum de Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum (antea de Religiosis); attento M. P. Cum admotae, d. 6 nov. 1964 et doctrina inde exorta, potestatem regiminis, seu iurisdictionem, in Codice solis Institutis clericalibus exemptis concessam, ad Instituta clericalia iuris pontificii in suo schemate extendendam proposuerit, ideo in can. 26 huius schematis, cum reassumitur norma can. 1579 C.I.C., de tribunalibus religiosis constitutendis, ad Instituta clericalia iuris pontificii extendenda ea proponitur.

PRAENOTANDA

I.

DE SCHEMATE IN GENERE

1. Schema, quod praesentatur in subsequentibus paginis, multiplicititer differt a praesenti libro IV CIC, qui inscribitur « De processibus ».

Differt in titulo, cui nunc praeponitur « De modo procedendi pro tutela iurium », idque videtur magis proprius et congruus. Nam vox « processus » per se exprimit quamlibet successionem vel progressum, dum ab adiectis verbis « pro tutela iurium » accipit suam specificationem et insimul opportune indicat finem operis: processus sane non celebratur ad proximum deterrendum, aemulandum, damnificandum.

Differt ob novitates introductas (ex. gr. processum contentiosum summarium) et quaedam instituta radiciter reformata (ex. gr. sistema nullitatis sententiae).

Differt etiam quoad amplitudinem. Nam, dum praesens liber IV CIC continet 642 canones, schema adnexum omnia absolvit in 436 canonibus, inibi inclusis etiam 39 canonibus de procedura administrativa (Sectio quinta).

II.

SUMMA PRINCIPIA QUAE RECOGNITIONEM DIREXERUNT

2. Ius processuale, ut optatis omnium respondeat, hoc praestare debet, quod nempe iustitia tuto et celeriter administretur, quod unusquisque de populo Dei fidere possit tuitioni suorum iurium per procedurale sistema citatum et perspicuum.

Insuper negari nequit quod mores alicuius nationis, leges civiles loci influxum exerceant praesertim circa modum et qualificationem mediorum probationis et actuum iudicialium. Ex alia parte, attentis hierarchica structura tribunalium et iure fidelis deferendi semper suam causam ad Sedem Apostolicam, leges processuales in universa Ecclesia debent substantialiter inter se congruere.

Commissionis hic fuit labor: iustum invenire aequilibritatem inter decentralizationem (quam vocant) et unitariam iustitiae organizationem; inter agilem, brevem processus typum et securam publici privatique boni tuitionem.

III.
DISTRIBUTIO MATERIAE PROCESSUALIS

3. Praesertim in re iudicaria logica distributio institutorum et lucidus ordo tractationis omnimoda necessitate exiguntur.

Delineatio adnexi schematis haec est: praemissis normis *de iudiciis in genere* (Pars I can. 1-136), traditur prospectus completus triplicis processus typici, nempe *iudicii contentiosi in genere* (Pars II: can. 137-317), *iudicii criminalis* (Pars IV: can. 380-396), et *processus administrativi* (Pars V: can. 397-435).

Inseruntur dein, loco magis apto, prospectus indicativi *processuum specialium*, illarum nempe proceduratum quae in aliquo deflectunt a typo vel a typis in quibus inscribuntur. Ita, post processum contentiosum in genere, ponitur schema *processus contentiosi summarii* (Pars III: Sectio I, can. 318-334), *causarum matrimonialium* (Sectio II, can. 335-376), in quattuor titulos dispergitum, iuxta diversam naturam earundem causarum et *compromissi in arbitros* (Sectio III: can. 377-379).

Processui administrativo in genere adnectuntur prospectus *duorum processuum specialium* qui adhibeantur in *amotione* et in *translatione parochorum* (Pars V: Sectio II: can. 436-449).

Talis materiae divisio obtinet quoque oeconomiam legislationis, quia, quando iam plene delineata est figura triplicis processus typici, facilis est descriptio processuum specialium, circa quos sufficit indicare lineas in quibus singuli deflectunt a typo.

IV.
NONNULLAE PRAECIPUAE IMMUTATIONES

A) IN IUDICIIS IN GENERE.

4. Impossibile est indicare omnia nova elementa inducta; sufficiat innuere illas immutationes, quae, potius quam technicam iuris, redolent spiritum Concilii Vaticanani II.

5. Laicis aperitur tribunalium ianua ita ut ipsi non solum tamquam petitores forum adeant, sed sedere quoque possint intra cancellos iustitiae sicuti publici officiales.

a) Capacitas laici ad officium Notarii universim agnoscitur (exceptis tantummodo causis criminalibus clericorum), et non tantum « si clerici desint », sicut nunc (can. 36).

b) Ad munus Assessoris item vocari poterunt, et valde utiles erunt iudici unico praesertim illi qui civilem iurisprudentiam et scientiam administrativam calleant. Ad hunc finem expungitur altera pars can. 1575 CIC (can. 23).

c) Auditores quoque, seu instructores actorum, ipsi constitui possunt (can. 27, par. 2).

d) Iudex quoque de merito renuntiari poterit laicus, non quidem unicus, sed unus de collegio etiam in causis nullitatis matrimonii in primo gradu agendis, ex indulto Conferentiae Episcopalis (cann. 20; 24, par. 4).

6. Tribunalia Regionalia, non solum ad causas nullitatis matrimonii, sed ad omnes causas non reservatas in primo et altero gradu pertractandas, constituere poterunt Conferentiae Episcopales, assignata cuilibet tribunali opportuna circumscriptione (cann. 22; 40).

Per hanc provisionem extenduntur ubique, et quoad omnia negotia iudicaria, indubia beneficia quae, hisce novissimis decenniis, ex regionalibus foris nonnullis nationibus provenerunt.

7. Officii judicialis nomina aliquatenus immutantur. Ita tollitur illa vox « Officialis » vel « Vice-Officialis », quia verbum nimis generaliter munus designat.

Ponitur « Vicarius Iudicialis », et ita maior exprimitur coniunctio cum Episcopo vel cum Episcopis (in tribunali regionali). Qui nunc dicuntur « Vice-Officiales » postea appellabuntur « Vicarii Iudiciales adjuncti » (can. 19).

Iudices habebuntur « regionales » vel « dioecesani », sublato nomine « synodalium » aut « prosynodalium » quod nihil dicit relate ad vim muneris (can. 20).

8. *Stabilitas iudicum* defenditur, sive in munere, quia removeri nequeunt « nisi ex legitima gravique causa » (can. 21), sive in determinato processu, quia Vicarius Iudicialis eos subrogate non potest « nisi ex gravissima causa, in decreto sub poena nullitatis exprimenda ».

9. *De exceptione suspicionis*, sublata implexa architectura praesentis can. 1614 CIC, videt semper Episcopus Moderator tribunalis (can. 50, par. 2). Ita aptius consultur dignitati iudicum recusatorum, qui nunc quandoque iudicantur ab aliis iudicibus.

10. *Etiam non baptizatus* potest esse actor (can. 82).

11. *Repraesentatio personarum moralium* ordinatur modo magis congruo et organico: ita Ecclesia cathedralis repraesentatur ab Episcopo; seminarium a rectore, etc. (can. 86).

12. Aufertur praesens norma can. 1652 CIC, iuxta quam religiosi non habent personam standi in iudicio.

13. Per propositum can. 94 prospicitur *necessitati*, quandoque emergenti, patroni *ponendi actum iudiciale ad damnum partis avertendum*, quin ipse possit mandatum sibi collatum probare.

14. Proponitur figura nova patroni, qui vulgo dicitur « *publicus* », quique in usu iam venit quorundam tribunalium. Haec functio ita delineatur: « In unoquoque tribunali, quatenus fieri possit, stabiles patroni constituantur, ab ipso tribunali stipendum

recipientes, qui munus advocati vel procuratoris in causis praesertim matrimonialibus pro partibus quae eos seligere malint, exerceant, secundum normas lege particulari statuendas » (cán. 101).

15. *De custodia filiorum et de alimentis praestandis* praevidentur petitiones et decreta per novos canones 112, 113, 114, positos sub titulo: « De actionibus et exceptionibus ». Ita providetur iuris lacunae hac in re.

16. Quoad *nuntiationem novi operis et actionem de damno infecto vel compensando*, remissa norma directa quae nunc viget, canonizatur ius civile, haud praetermissa clausula, qua sarta tecta servantur ius divinum et aequitas canonica (can. 115-117).

17. Item ius civile proponitur servandum in *actionibus rescissoriis* (can. 122-123). Et ita reponitur legislatio nunc vigens de restitutione in integrum: quod institutum ideo remanet unice tamquam impugnatio adversus rem iudicatam. Et hoc certo favet claritati.

B) IN IUDICIO CONTENTIOSO.

18. *Acceptatio vel rejectio libelli* in tribunali collegiali fit a praeside: ita consumtur celeritati. Adversus refectionem ab isto pronuntiatam recursus fit ad collegium (can. 141). Dein adiri potest tribunal appellationis.

19. *Libellus pro admisso habetur*, si iudex siluerit per mensem ab exhibito eodem libello, nec actori post mensem sollicitanti intra quinque dies non responderit (can. 142). Quod remedium efficacius conspicitur quam recursum ad Ordinarium vel ad tribunal superius, de quo in vigenti lege.

20. *Citatio partium statui debet* in ipso decreto quo libellus admittitur (can. 143), et citationi partis conventae adiungatur, pro regula, libellus, ut haec immediate comperiat de qua re agatur.

21. *Inter effectus citationis* nunc recensitos additur quod « possessor rei alienae desinit esse bonae fidei; ideoque, si damnatur ut rem restituat, fructus quoque a citationis die reddere debet, et damna sarcire » (can. 153, n. 5).

22. *Instantiae initium fit citatione* (can. 158), non vero, sicuti in norma vigenti, contestatione litis, quae non absolute necessaria est sicuti citatio.

23. Non solum heres defuncti aut successor, sed *etiam interesse habens* potest prosequi causam nondum conclusam et suspensam ob mortem litigantis (can. 159, n. 1).

24. *Termini ad peremptionem instantiae*, quando nullus actus processualis ponatur a partibus, breviantur in dimidium relate ad tempora nunc statuta (can. 161).

25. *Circa renuntiationem instantiae ex parte administratoris personae moralis*, opportunum visum est explicite declarare necessarium esse interventum auctoritatis tutoriae (can. 165, § 2).

26. *Quoad probationes in genere:*

a) mutatus est ordo praesens, ita ut antea declaratum sit cui incumbat onus probandi et dein quaenam sint elementa quae non indigent probatione (can. 167);

b) consultum est libertati conscientiae illius qui renuat se sistere coram sacerdote catholico, statuendo quod « audiatur per laicum ab Episcopo designatum; quod si ne id quidem fieri possit, requiratur eius declaratio coram notario vel alio legitimo modo peracta » (can. 169).

27. *Quoad depositiones partium*, aufertur praesens dicotomia, iuxta quam eaedem depositiones, partim considerantur tanquam « confessiones », et partim simpliciter uti « interrogaciones », et ponuntur extra titulum « De probationibus ».

Ambae in schemate simul considerantur in capite quod inscribitur: « De declarationibus partium » (cann. 171-179).

28. *Relate ad iusiurandum* nunc a partibus exigendum quando bonum publicum est in causa, schema ita prospicit: « iudex partes interrogandas *hortari* debet ut iusiurandum de veritate dicenda, aut saltem de veritate dictorum praestent » (can. 173).

29. *De vi probatoria declarationis partium*, cuius in praesenti Codice nulla datur taxatio, schema proponit quandam indicem valoris hoc modo:

a) « confessio extrajudicialis et partium declarationes quae non sint confessiones aliquam vim probandi habere possunt, a iudice aestimandam una cum ceteris causae adiunctis ».

b) « judiciali confessioni in causis quae respiciunt bonum publicum numquam vis plenae probationis tribui potest nisi alia accedant elementa quae eam omnino corroborent » (can. 178).

30. *Probationum ordo permutatur*. Visum est logice indicem et tractationem singulorum mediorum probationis redigenda esse iuxta momentum maius vel minus singulis probationibus tribuendum. Ita probatio per documenta secundum locum accipit, ante probationem per testes.

31. *Quoad documenta publica ecclesiastica* schema voluit vitare praesentem perlongum elenchum can. 1813 CIC, qui, ceterum, non est nisi exemplificativus, cum referatur ad « praecipua » documenta huius generis.

Necesse, ideo, fuit tradere conceptum documenti publici: quod factum est in can. 181, § 1, quamvis schema habitualiter abstineat a definitionibus.

32. *Circa actionem ad exhibendum*, satius visum est rem remittere iuri civili loci, cum agatur de re mete instrumentalis, facta tamen potestate per legem particularem praescripta iuris civilis congrue ad forum canonicum accommodandi (can. 182).

33. *Qui testes esse possint.* In hoc articulo aufertur omnino genus iuridicum *testium suspectorum*, de quo in canone 1757, § 2 CIC; reducitur in angustiores fines genus *testium incapacium*; et quoad impuberis et mente debiles, quin declaratur « repelluntur ut non idonei », statuitur tantummodo: « non admittuntur » (can. 192).

34. *Quoad iusiurandum testis,* schema proponit quod iudex illi deferat iuramentum ante excussionem, sed « si testis renuat illud emittere, iniuratus audiatur » (can. 201, § 2).

35. *Adsistentia patronorum ad examen testium.* Ut aliquid simile communi praxi tribunalium laicorum statueretur, et ut difficultates in ipsa instructione solvi possent, haec norma proposita est. Additum est tamen temperamentum: « nisi iudex propter rerum et personarum adjuncta aestimaverit secreto esse procedendum ».

Quoad adsistentiam partium norma datur omnino contraria: nequeunt adesse, « nisi iudex, praesertim cum res est de bono privato, eas admittendas censuerit » (can. 203).

36. *Methodus interrogandi testes decerni potest a iure particulari.* Quia nonnulla systemata iudicaria considerant huiusmodi excussionem tamquam activitatem partium, congruum non est imponere in foro Ecclesiae methodum omnino contrariam.

Nisi aliter statutum fuerit, testes interrogantur a iudice, et quaesita ipsa patronorum vel defensoris vinculi proponuntur per iudicem (can. 205).

37. *Nec de contumacia, nec de eius purgatione,* verbum est in schemate. Titulus est « De partibus non comparentibus », quas iudex declarare potest « absentes a iudicio ». Substantia normarum non multum differt (cann. 248-251).

38. *Defensiones scriptae non sunt omnino necessariae.* Proponitur, enim, norma haec: « Defensiones et animadversiones scriptae sint, nisi disputationem pro tribunali sedente iudex, consentientibus partibus, satis esse censeat » (can. 261).

39. *Sententia publicanda est non ultra mensem a pronuntiatione,* nisi in tribunali collegiali iudices, gravi de ratione, longius tempus praestituerint (can. 268, § 3). In praesenti non praefinitur terminus.

Circa modos publicationis, non amplius recensentur sollemnis lectio decisionis facta a iudice, et facultas impertita legendi decisionem in sede tribunalis (can. 273).

Etiam ceterae iudicis pronuntiationes, ut valeant, debent motivis fulciri (can. 275).

40. *Proponitur ordo impugnationum qui videtur perspicuus.*

a) Imprimis non amplius vocantur « iuris remedia », quae sapiunt aliquatenus medicamenta et ideo incongrue adhibentur relate ad sententiam. « *Impugnatio sententiae* » est optima latinitatis vox, et concinit cum formula legum civilium.

b) Habentur antea *impugnationes sententiae*, quae ponuntur hoc ordine magis logico: 1) querela nullitatis; 2) appellatio. Dein *impugnationes rei iudicatae*, quae

sunt: 1) restitutio in integrum contra rem iudicatam manifeste iniustum; 2) tertii oppositio, contra decisionem quae tertium laedere potest; 3) causae retractatio, contra duplarem conformem sententiam in causis de statu personarum.

41. *Systhema nullitatis sententiae radicibus reformatum proponitur.*

Cum crisis huius impugnationis, sicuti sancitur in CIC, appareat evidens, nova architectura systhematis visa est necessaria.

a) Imprimis vitandaes apparent nullitates *derivatae*, statuendo quod ipsa sententia censemur sanare nullitates actorum, positivo iure statutas, ante sententiam notas et non denuntiatas (can. 276).

b) *reductio nullitatum insanabilium* ad illas quibus ullo tractu temporis mederi nequit (contra id quod nunc evenit) eo quod natura sua insanabiles sint, nempe quando: 1) sententiae praesupposita defuerunt, ex parte iudicis; 2) defectus partium; 3) iudex vi vel metu gravi coactus sententiam tulit; 4) sententia controversiam non definit (can. 277).

c) *demitio ad nullitates sanabiles* — quibus medetur per spatium trium mensium — illarum nullitatum quae nunc dicuntur insanabiles et recensentur in praesenti can. 1892 CIC, ita ut longior fiat in schemate index harum nullitatum (cann. 279-280).

42. *Quoad appellationem*, haec animadverti possunt:

a) definitur quando sententia interlocutoria vel decretum habeant vim sententiae definitivae (can. 286, § 2), ut vitari possint difficultates nunc vigentes;

b) terminus ad appellandum dilatatur ad quindecim dies (can. 287);

c) quaestio de iure appellandi solvit a tribunali appellationis (can. 288);

d) si alia pars ad aliud tribunal appellaverit, praevalet illud quod superioris est gradus (can. 290);

e) declaratur expresse quod appellationi propositae a Vinculi Defensore vel a Promotore Iustitiae, potest renuntiare is qui idem munus exercet in tribunali appellationis (can. 292, § 2). *

43. *Relate ad rem iudicatam*, locum non habet in schemate praesens formula can. 1904, § 1 CIC, quae forsitan nimis sollemnis appareat et granditate verborum plena. Ad effectus iuridicos huius instituti declarandos sufficiens videtur formula proposita in can. 298.

Casus in quibus habetur res iudicata recensiti sunt in indice novo, qui videtur magis completus, sive in formulatione (« si duplex intercesserit *inter easdem partes* sententia conformis *de eodem petito et de eadem causa petendi* »), sive in enumeratione, addendo casum instantiae renuntiatae vel peremptae in gradu appellationis (can. 297).

44. *Circa restitutionem in integrum* proposita videtur aliqua clarificatio, quae valeat praesentes incertitudines auferre. Nam ita mutata est formula:

a) « *legis substantialis* praescriptum evidenter neglectum fuerit ». Cum nullitates iuris naturalis subiiciantur querelae nullitatis, cumque nullitates iuris posi-

tivi censeantur sanatae per sententiam (cfr. supra: n. 41, a), hic sufficit recensere neglectum legis substantialis.

b) non tantum *documenta*, sed *quaelibet probationes* quae postea falsae deprehensae sint, ansam dant restituti, dummodo tamen sine illis decisio non sustineretur;

c) additus est casus quod praecedens extet contraria decisio, quae in rem iudicatam transierit;

d) non amplius vocatur remedium *extraordinarium* (can. 299).

45. *De expensis iudicialibus, de honorariis advocatorum, de gratuito patrocinio, normae dari debent a lege particulari* (can. 309).

V.

DE PROCESSU CONTENTIOSO SUMMARIO

46. *Locus huius processus in architectura iudiciali.*

a) Est processus *specialis*, non ratione materiae, sed *ratione formae*, seu non comprehendit in se certam aliquam materiam pertractandam, sed est trames iudicialis per quem nonnullae quaestiones possunt instrui et definiri.

b) Habet, tamquam suum genus, iudicium contentiosum, a quo deflectit in summa celeritate qua gaudet.

c) Longinquam radicem habet in Const. « Saepe » Clementis Pp. V, et recentem expressionem in Codice Orientali: « De iudicio contentioso coram unico iudice » (cc. 453-467). Relate ad vigentem Codicem constituit omnimodam novitatem.

47. *Natura et nomen processus summarii.*

a) Est processus iudicarius *radicitus simplificatus*, manente substantia contradictorii, actionis, exceptionis, probationum, publicitatis, discussionis et sententiae motivis praeditae.

Haec omnia, tamen, obtinenda erunt *faciliter et celeriter*. Ideo praetermitti debent omnes sollemnitates, omnia temporis intervalla non stricte necessaria, et permultae scripturae.

b) *Fulcrum* huius processus est *audientia*, quae respondet tribus necessitatibus simul, nempe: aa) *collectioni probationum* (examen partium, testium, documentorum); bb) *publicitati earundem probationum*, quae colliguntur praesentibus partibus earumque patronis, et ideo supplet publicationem actorum, qua tempus teritur; cc) *discussioni causae*, quae oretenus fit a patronis ante iudicem (cann. 325-330).

c) *Nomen* huius processus forsitan non est perfectum, quia vox « *summarius* », iuxta communem profanum usum, sapit aliquid nimis leve et incompletum, seu per summa capita consideratum.

At terminus aptior difficulter invenitur, et vox « *summarius* » cognoscebatur

a veteri iure canonico, et etiam nunc adhibetur in eodem sensu in legislatione gallica.

48. *De obiecto processus summarii.*

a) Quaenam materiae dilui possint per istum alveum, pendet partim *a iure communi*, partim *a iure particulari*.

b) *De iure communi* proposito in adnexo schemate demandantur huic novae formae processuali: causae separationis coniugum (can. 357); causae incidentales (can. 246); causae de querela nullitatis (can. 284); nova causae propositio (can. 308);

c) De iure particulari, lege a Conferentia Episcopali lata, determinations peculiares haberi possunt circa usum huius processus (can. 318).

49. *De evolutione instantiae in processu summario.*

a) *Libellus anticipare debet multa* quae in iudicio ordinario postea exhibentur: non solum facta quibus actoris petitio innititur, sed probationes quibus actor vult facta demonstrare, indicatis testibus et allegato exemplari authentico documentorum, ac tandem exprimere conclusiones actoris (can. 321).

b) Haec omnia notificantur parti conventae, data facultate respondendi: et ita obtinentur effectus citationis judicialis (can. 322). Dein iudex formulam dubii determinat (can. 324).

c) Dein *indicitur audientia*, ad quam citantur partes, testes, patroni. *Procedura est oralis*: voces testium, explicationes peritorum, documenta allata et lecta percutiunt simul sensus iudicis, partium, patronorum (can. 325).

d) Ast *aliqualis scriptura* necessaria est. Statuitur, ideo, quod responsiones, testimonia, petitiones et exceptiones scripto consignentur a notario, « sed summatim et in iis tantummodo quae pertinent ad substantiam rei controversae » (can. 326).

e) Praehabita discussione orali, in eadem audientia vel in alia celebranda intra quinque dies, iudex causam definit, legendo praesentibus partem dispositivam sententiae (can. 331).

f) In causis quae versantur circa privatum tantum bonum, etiam tribunal appellationis potest ex unico iudice constare (can. 333).

g) Hoc momentosum est: in processu summario tribunal, ut celeritati consulat, potest suo decreto derogare normis processualibus, quae non sint ad validitatem statutae (can. 332).

VI.

DE CAUSIS AD MATRIMONII NULLITATEM DECLARANDAM

50. *Circa forum competens* repetitur formula praesentis can. 1960 CIC, sed non omnino eadem, quia in ambitu verborum « iure proprio et exclusivo », auferatur vox « et exclusivo » (can. 335). Quod iam evenerat in M. P. « Causas Matrimoniales », I.

Item quoad causas de effectibus matrimonii mere civilibus declaratio can. 1961 CIC de competentia civilis magistratus hanc recepit additionem: « nisi ius particolare statuat easdem causas, quando incidenter et accessorie agantur, posse a iudice ecclesiastico cognosci ac definiri » (can. 336). Formula mutuatur ex eodem M. P., II.

51. *Titulus competentiae ad causas nullitatis matrimonii confirmatur triplex:* forum contractus; forum commorationis partis conventae; forum plerarumque probationum, sicuti in M. P. citato, IV.

Tamen, probatio commorationis non praecariae depromi debet « *ex aliquo publico regesto* (loco: « *ex aliquo ecclesiastico documento* ») *vel alio legitimo modo* » (can. 337).

52. *Nulla limitatio in iure impugnandi matrimonium.* Etiam hic studendum erat bono animarum et insimul iuridicae claritati.

a) Omnes qui usum fori habent, sciunt difficultates fere insuperabiles inducitas ab exclusione coniugum, qui fuerint *nullitatis « causa directa et dolosa »*. Has angustias frequentes S. Sedis declarationes auferre non potuerunt. Ex alia parte non potest exigi aliquem manere perpetuo in concubinatu in poenam malae fidei qua contraxit.

Potuissent exigi resipiscentiae signa; sed de istis iuridice constare non potest. Pastorali via cautions hac de re requiri possunt et debent ante novas nuptias.

Proinde visum est limitationem nunc vigentem auferre.

b) *Quoad acatholicos*, etiam non baptizatos, iam provisum est in can. 82 (cfr. supra: n. 10).

c) *Quoad Promotorem Iustitiae*, schema curavit praesentes ambiguitates tollere edicendo ipsum posse matrimonium impugnare in tuitionem publici boni, quando nullitas fundatur in facto de se publico, si matrimonium convalidari nequeat aut non expedit (can. 338).

53. Iudex in limine litis debet pastoralia media adhibere *ad nuptias forte convalidandas vel ad communionem vitae restaurandam* (can. 340).

54. *Formula dubii ex officio statuitur*, nisi pars conventa expressam litis contestationem petat, *et notificatur*.

Dubium autem debet determinare quo capite vel quibus capitibus validitas matrimonii impugnetur (can. 341).

55. *Paritas processualis inter Defensorem Vinculi et patronum partis.*

Negari nequit systhema Codicis esse totum in favorem vinculi, et istos collacatos esse in evidenti inaequalitate iudiciaria. Aequa compositio fit in schemate, ambos admittendo ad examen partium, testium, peritorum, et ad acta processus, etsi nondum publicati, invisenda (can. 342).

56. *Facilior transitus a causa nullitatis ad processum super rato.* Praesens can. 1963, § 2 CIC appetit nimis simplex et non respicit nisi causam de im-

tentia. E contra, art. 206 Instructionis *Provida Mater* videtur nimis implexus, eo quod regimen diversum tribuat iuxta caput nullitatis primitus adductum.

Hic quoque schema via media progreditur, vitando confusionem et immixtionem inter tribunal et Episcopum, ex consideratione quod dispensatio matrimonii non consummati est modus practicus et celerior solvendi causam iam competentiae tribunalis commissam (can. 346).

57. *Necessitas duplicitis decisionis pro nullitate* urgetur in schemate, et statuitur quod, etiamsi Defensor Vinculi primi gradus appellationem negligat, acta identidem transmittantur ad tribunal appellationis, quod ad ulteriora procedat « tamquam si appellatio a vinculi Defensore proposita sit ».

Defensor vinculi apud tribunal appellationis non potest appellationi renuntiare (can. 347, §§ 1 et 2).

58. *Circa decretum ratihabitionis et ordinarium examen secundi gradus* confirmatur praesens disciplina inducta a M. P. « Causas Matrimoniales », VIII (can. 347, § 3).

Attamen, ex praecedenti can. 308, petita novae causae propositio contra duplēm decisionem pro nullitate execusionem sententiae non suspendit, nec in casu decreti ratihabitionis: contra id quod nunc evenit ex art. IX M. P. citati.

Tribunal appellationis potest tamen, in singulis casibus, huiusmodi suspensionem iubere.

59. *Processus matrimonialis summarius* dicitur nunc procedura antea nuncupata « De casibus exceptis » (cann. 1990-1992 CIC), et dein « De regulis in casibus specialibus » (M. P. Causas Matrimoniales, X-XIII). Nomen novum videatur magis respondere ordinationi systematicae materiae, dum praecedentes formulæ exprimebant conceptum mere negativum.

Haec adnotanda veniunt:

- a) substantia normarum mutuatur a M. P. citato;
- b) competens ad hunc processum instruendum et definiendum est « *Vicarius Iudicialis* vel iudex ab ipso designatus » (can. 351); non amplius « *Ordinarius loci* », sicuti in CIC et in M. P. Et reapse nulla pretiosa ratio aderat cur huiusmodi processus, qui est « ordinis iudicialis, non administrativi » (A.A.S., 1944, p. 94, n. 2) subtraheretur iudici ordinario, qui nunc potest esse « unicus clericus » (can. 24, § 4): eo vel magis quod fere semper Episcopi tale munus committebant Officiali iuxta art. 228 Instructionis *Provida Mater* S. C. Sacr. 15 augusti 1936.
- c) Contra id quod nunc evenit, pars quae se gravatam putet a decisione primi gradus, ius habet appellandi (can. 352, § 2).

VII.

DE CAUSIS SEPARATIONIS CONIUGUM

60. Cum in libro IV CIC nullibi sit sermo de huiusmodi causis, potius quam de recognitione, agitur de constructione nunc primitus facienda.

Principia quae direxerunt redactionem schematis, haec praecipue fuerunt:

a) Visum est imprimis non expedire quod causae separationis demandarentur semper civili magistratui, idque pluribus de rationibus, sed praesertim ex declaratione can. 335;

b) ex alia parte consideratum est nec parva esse incommoda duplicitis in hoc re iurisdictionis, ex qua contrariae decisiones dimanare possent;

c) Insuper sarta tecta servanda erant iura particularia, statuta praesertim in Concordatis;

d) Agnoscenda erat quoque facultas coniugis agitandi causam separationis via iudicaria: de quo iure antea dubitabatur, adeo ut interrogata de re fuerit Commissio Interpres (cfr. A.A.S., 1932, p. 234).

61. Ad componenda haec diversa postulata propositum est quod:

a) salvo iure particulari, separatio decerni possit via administrativa vel iudicaria (can. 356, § 1); in via iudicaria adhibeatur processus contentiosus summarius, nisi petatur processus ordinarius (can. 357);

b) quando decisio ecclesiastica non sortitur effectus civiles, et sententia civilis non praevideatur contraria iuri divino, Episcopus poterit, iuxta adjuncta, licentiam concedere adeundi forum civile (can. 356, § 2);

c) si causa respiciat effectus mere civiles, curandum est ut inde ab initio ad tale forum deferatur (can. 356, § 3).

VIII.

DE PROCESSU DISPENSATIONIS SUPER RATO

62. Nunc in CIC normae de hac materia permiscentur legibus quae dirigunt causas nullitatis matrimonii. Quod congruum non videtur, quia duo processus induunt naturam diversam, respective administrativam et contentiosam.

Necesse ideo erat apparare titulum appositum, non solum ad formalem perfectionem legis, sed ad utilitatem quoque tribunalium.

63. Confirmatur disciplina recenter inducta ab Instructione S. C. de disciplina Sacramentorum diei 4 martii 1972 circa competentiam Episcopi dioecesani accipiendi libellum pro dispensatione et instruendi processum. Haec Instructio tamen viget « usque ad CIC recogniti promulgationem ».

Schema determinat facultatem de qua supra competere Episcopo *domicili vel commorationis non precariae oratoris* (can. 364).

64. *De patronis in processu super rato.*

a) Schema via media procedit inter contrarias omnino opiniones: nam ex praesentia advocatorum aliqua incommoda obvenire possunt, sed constat quoque causas super rato quandoque naufragium fecisse eo quod nemo sugerere potuit opportuna media instructionis.

b) Ideo pro regula habetur quod patronus non admittitur; in casibus difficultibus, instante alterutra parte, Episcopus id indulgere potest, praesertim ad hoc, ut pars non privetur consiliario ad plenioram instructionem obtinendam (can. 366, § 2).

c) Huius consiliarii munus potest pressius exerceri in casu quo Apostolica Sedes rescriperit ex deductis non constare. Tunc patronus, a parte electus et ab Episcopo probandus, potest acta processus, non vero votum Episcopi, invisere in sede tribunalis ad perpendendum num aliquid grave proponi possit in supplemento (can. 366, § 3).

65. *Absoluti secreti instructorii aliqua mitigatio.*

a) Hucusque evenire poterat quod pars conventa vel testis, ad nocendum oratori, impune afferret documentum vel aliam probationem, contra quae ipsi nihil excipiendum manebat, cum ignoraret illud argumentum. Idem accidere poterat contra partem conventam, ad elidendam eius resistantiam. Ideo omnigenum secretum vertebatur in damnum veritatis.

b) Exinde provisum est quod, quamvis non fiat publicatio actorum, iudex, quando conspiciat petitioni partis oratricis vel exceptioni partis conventae grave obstaculum obvenire ob adductas probationes, id parti cuius interest prudenter patefaciat (can. 370, § 1).

c) Praevidetur etiam quod parti instanti documentum allatum vel testificationem receptam iudex, auditio Episcopo, ostendere poterit et tempus praefinire ad exceptiones praesentandas (can. 370, § 2).

66. *Conclusio processus in dioecesi.*

a) Praevidetur quod Episcopus possit committere instructionem etiam tribunalii alienae dioecesis (can. 365).

b) Tamen redactio voti tum super facto inconsuptionis tum supra iusta causa ad dispensandum competit semper illi Episcopo dioecesano, qui libellum acceptavit ex titulis competentiae de quibus supra (cfr. n. 62), cum ipse sit iudex natus opportunitatis vel minus huiusmodi concessionis (can. 370).

c) Eidem Episcopo transmittatur a S. Sede rescriptum dispensationis (can. 372), non directe parti postulanti, sicuti praevidetur in art. 105 Instr. S. C. de Sacr., 7 maii 1923.

IX.

DE PROCESSU AD MATRIMONII SOLUTIONEM IN FAVOREM FIDEI

67. Evolutio huius processus in omnibus sequitur tramitem supra relatum circa processum super rato (can. 373-376).

X.

DE COMPROMISSO IN ARBITROS¹

68. Inter *iudicia specialia*, post processum contentiosum summarium et causas matrimoniales, locum tenet *compromissum in arbitros*, quod, potius quam modus evitandi iudicium (CIC, De Processibus, Tit. XVIII), est sistema peculiare idem iudicium ducendi.

69. In hac materia schema inducit aliquam novationem: circa ipsum ineundum compromissum et circa consequens iudicium arbitrale partes possunt seligere legem civilem, quae applicanda sit in casu: quod si nullam selegerint, servatur lex civilis vigens in loco ubi initur conventio (can. 377).

Circa materias excludendas a compromisso, proponitur formula magis ampla quam praesens, ita ut comprehendat quoque casus a selecta lege civili exclusos (can. 378).

XI.

DE IUDICIO CRIMINALI²

70. Canones de iudicio criminali magis perspicui et completi proponuntur, quam in vigenti Codice; in iis autem redigendis ratio habita est schematis de sanctionibus poenalibus, in quo normae etiam insunt de poenis per decretum irrogandis vel declarandis, et norma qua statuitur quibus casibus Episcopus ad poenas irrogandas vel declarandas devenire possit ac debeat.

Itaque normae novae meliusque determinatae habentur in schemate praesertim quod attinet ad praeviam investigationem, ad partis laesae querelam, ad promotoris iustitiae munus, ad actionem de damnis ex delicto ortis, ad impugnationes; in primis autem consultum est processus celeritati et iustae rei defensioni.

XII.

DE PROCEDURA ADMINISTRATIVA

71. Canones 397-435 de *procedura administrativa in genere* iam subiecti sunt examini Dicasteriorum Curiae Romanae, Conferentiarum Episcoporum, et aliorum coetuum.

¹ De transactione agitur in parte de iure patrimoniali.

² Cfr. cann. 1933-1959 CIC.

In relatis canonibus delineata est figura *processus administrativi typici*, cuius normae regunt quamlibet proceduram huius generis.

In duobus titulis qui sequuntur, describuntur duo *processus administrativi speciales*.

XIII.

DE MODO PROCEDENDI IN AMOTIONE PAROCHORUM

72. Abrogata iam a Decreto Conciliari « Christus Dominus », n. 31, distinctione inter parochos amovibiles et inamovibiles, M. P. « Ecclesiae Sanctae », n. 20, § 1, declaravit necessitatem disponendi in novo Codice adaequatam proceduram in amotione parochorum, et quidem unicam.

Nam, sublata inamovibilitate, remanet « *stabilitas in officio* », agnita a relato Decreto Conciliari (*l. c.*).

73. *Iustae causae* pro remotione nec in can. 2147 CIC taxative enumerabantur. In M. P. « Ecclesiae Sanctae », n. 20, § 1, attenduntur causae in iure enumeratae, « vel aliam similem, iudicio eiusdem Episcopi ».

Schema proponit formulam, quae favet maiori potestati discretionali Episcopi, sed insimul innuit adductam causam pro amotione probari posse et debere. Exinde sublata est causa in CIC ita recensita: « probabile crimen occultum, parocho imputatum »; nec amplius inducitur usitatum « *odium plebis* », cui succedit « *aversio christifidelium* ».

Ex alia parte sublatae sunt quoque illae exemplificationes vel restrictiones, quae cuilibet iustae causae additae sunt in CIC, ita ut norma nimis gravaretur (can. 437).

74. *Assessores Episcopi in tali negotio* debent esse duo sacerdotes, praesertim examinatores synodales aut sodales consilii presbyteralis (can. 438).

75. Praecipua stadia huius procedurae sunt:

- a) discussio casus ab Episcopo cum assessoribus;
- b) suasio parocho facta ad renuntiandum, « *causis et argumentis indicatis* », intra quindecim dies;
- c) in defectu respcionis, iteratio invitationis, statuto termino ad respondendum;
- d) in iterato defectu respcionis, vel in recusatione renuntiationis absque expositione motivorum, emissio decreti amotionis (can. 440).

76. Si parochus resistere intendit, Episcopus:

- a) eum invitet ad causas et probationes oppugnandas et ad contraria arguenda forte proponenda;
- b) citet parochum et testes, a se et a parocho inductos, ad audientiam coram se et assessoribus (can. 441);

- c) offerat parocho facultatem inspiciendi acta et respondendi;
- d) auditis assessoribus, decernat de amotione pronuntianda vel minus;
- e) tandem decretum edat, expressis saltem summarie motivis (can. 442).

XIV.

DE MODO PROCEDENDI IN TRANSLATIONE PAROCHORUM

77. Novatio praecipua quae habetur relate ad CIC in hoc stat, quod non agitur tantum de translatione ad aliam paroeciam, sed etiam « *ad aliud officium* » (can. 445), iuxta normam M. P. « Ecclesiae Sanctae », n. 20, § 2.

78. Procedura fere eadem est quae supra statuitur pro amotione. Sed quia praesupponit parochum paroeciam « *utiliter regere* », non est locus probatio-nibus producendis nec ab Episcopo, nec a parocho renuente.

Episcopus debet tantummodo cum duobus assessoribus discutere de rationibus, quae stant pro translatione et de motivis a parocho contra allatis (can. 447).

79. Aufertur praesens can. 2163, § 1 CIC, qui vetat Episcopo transferre paro-chum *inamovibilem* renuentem.

Episcopus potest tandem praecipere parocho ut novum officium adeat, et decla-rare vacantem paroeciam a qua. Id statuens, difficulter limites discretionalis-tis praetergredietur.

PARS PRIMA
DE IUDICIIS IN GENERE

Can. 1 (CIC 1552). § 1. Obiectum iudicii sunt:

1) Personarum physicarum vel iuridicarum iura persequenda aut vindicanda, vel facta iuridica declaranda;

2) delicta, quod spectat ad poenam irrogandam vel declarandam.

§ 2. Contra administrativa decreta, quae in exercitio ecclesiastici regiminis feruntur non datur actio iudicialis, sed tantum recursus ad superiorem vel ad tribunal administrativum secundum canones de procedura administrativa.

Can. 2 (CIC 1553-1554). In causis in quibus tum Ecclesia tum civilis potestas aequa competentes sunt, quaeque dicuntur mixti fori, est locus praeventioni, ideoque causam mixti fori ad iudicem ecclesiasticum iam deductam non licet ad forum saecularem deferre.

Can. 3 (CIC 1555). § 1. Tribunalia Apostolicae Sedis secundum particulares suas leges et stylum constituuntur et reguntur.

§ 2. Eae leges statuunt etiam in quibus causis inferiora quoque tribunalia speciales procedendi rationes servare debeant.

TITULUS I
DE FORO COMPETENTI

Can. 4 (CIC 1556). Prima Sedes a nemine iudicatur.

Can. 5 (CIC 1557). § 1. Ipsius Romani Pontificis dumtaxat ius est iudicandi:

- 1) Eos qui supremum tenent civitatis magistratum horumque coniuges et liberos eosve quibus ius est proxime succedendi in munere;
- 2) Patres Cardinales et Patriarchas;
- 3) Legatos Sedis Apostolicae, et in criminalibus Episcopos, etiam titulares;
- 4) alias causas quas Ipse ad suum advocaverit iudicium.

§ 2. Sacrae Romanae Rotae reservatur iudicare:

- 1) Episcopos, etiam titulares, in contentiosis, salvo praescripto can. 18, § 2;
- 2) Abbatem primatem, vel Abbatem superiorem Congregationis monasticae, et Supremum Moderatorem religionis exemptae;
- 3) personas ecclesiasticas, sive physicas sive iuridicas, quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent.

Can. 6 (CIC 1558). § 1. Violato praescripto can. 4 iudicium et decisiones pro infectis habentur.

§ 2. In causis de quibus in can. 5 aliorum iudicium incompetentia est absoluta.

Can. 7 (CIC 1559). § 1. Nemo in prima instantia conveniri potest, nisi coram iudice ecclesiastico qui competens sit ob unum ex titulis qui in cann. 8-15 determinantur.

§ 2. Incompetentia iudicis cui nullus ex his titulis suffragatur, dicitur relativa.

§ 3. Actor sequitur forum rei; quod si reus multiplex forum habet, optio fori actori conceditur.

Can. 8 (CIC 1561). Quilibet conveniri potest coram tribunali domicilii vel quasi-domicilii.

Can. 9 (CIC 1563). § 1. Vagus et ille cuius domicilium et quasi-domicilium ignota sunt, forum habent in loco ubi actu commorantur; religiosus in loco domus sua.

§ 2. Is, cuius neque domicilium aut quasi-domicilium neque locus commorationis nota sint, conveniri potest coram tribunali loci in quo actor habet domicilium aut quasi-domicilium, vel, si hic sit vagus, commorationem.

Can. 10 (CIC 1564). Ratione rei sitae pars conveniri potest coram tribunali loci, ubi res litigiosa sita est, quoties actio in rem directa sit, aut de spolio agatur.

Can. 11 (CIC 1565). § 1. Ratione contractus pars conveniri potest coram tribunali loci in quo contractus initus est, vel adimpleri debet, nisi pars e loco discesserit, salvo praescripto § 2.

§ 2. In actu autem contractus permittitur contrahentibus obligationis declarandae, urgenda vel implenda gratia, locum eligere, in quo etiam absentes citari et conveniri possint.

§ 3. Si causa versetur circa obligationes quae ex alio titulo proveniant pars conveniri potest coram tribunali loci, in quo obligatio vel orta est vel est adimplenda.

Can. 12 (CIC 1566). In criminalibus reus, licet absens, conveniri potest coram tribunali loci in quo delictum patratum sit.

Can. 13. (CIC 1560). Pars conveniri potest:

- 1) in causis respicientibus beneficium coram tribunali loci beneficii;
- 2) in causis quae circa administrationem versantur, coram tribunali loci ubi administratio gesta est;

3) in causis quae respiciunt hereditates vel legata pia, coram tribunali ultimi domicilii illius de cuius hereditate vel legato pio agitur, nisi agatur de mera exsecutione legati, quae videnda est secundum ordinarias competentiae normas.

Can. 14 (CIC 1567). Ratione connexionis seu continentiae ab uno eodemque iudice cognoscendae sunt causae inter se connexae, nisi obstet incompetentia iudicis absoluta aut praescriptum can. 24, § 1.

Can. 15 (CIC 1568). Ratione praeventonis, cum duo vel plures iudices aequae competentes sunt, ei ius est causam cognoscendi qui prius citatione reum legitime convenit.

TITULUS II
DE VARIIS TRIBUNALIUM GRADIBUS ET SPECIEBUS

Can. 16 (CIC 1569). § 1. Ob primatum Romani Pontificis integrum est cuilibet fidei in toto orbe catholico causam suam sive contentiosam sive criminalem, in quovis iudicii gradu et in quovis litis statu cognoscendam ad Sanctam Sedem deferre vel apud eandem introducere.

§ 2. Provocatio tamen ad Sedem Apostolicam interposita non suspendit, excluso casu appellationis, exercitium iurisdictionis in iudice qui causam iam cognoscere coepit; quique idcirco poterit iudicium prosequi usque ad definitivam sententiam, nisi constiterit Sedem Apostolicam causam ad se advocasse.

Can. 17 (CIC 1570). Quodlibet tribunal ius habet in auxilium vocandi aliud tribunal ad causam instruendam vel ad actus intimandos.

CAPUT I
DE TRIBUNALI ORDINARIO PRIMAE INSTANTIAE

Art. 1

DE JUDICE

Can. 18 (CIC 1572). § 1. In unaquaque dioecesi et pro omnibus causis a iure expresse non exceptis, iudex primae instantiae est Episcopus dioecesanus, qui iudicariam potestatem exercere potest ipse per se, vel per alios, secundum tamen canones qui sequuntur.

§ 2. Si vero agatur de iuribus aut bonis temporalibus personae iuridicae ab Episcopo repraesentatae, iudicat in primo gradu tribunal appellationis.

Can. 19 (CIC 1573). § 1. Quilibet Episcopus tenetur Vicarium Iudicialem eligere cum potestate ordinaria iudicandi, a Vicario Generali distinctum, nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum suadeat hoc officium ipsi Vicario Generali committi.

§ 2. Vicarius Iudicialis unum constituit tribunal cum Episcopo loci: sed nequit iudicare causas quas Episcopus sibi reservat.

§ 3. Vicario Iudicali dari possunt adiutores, quibus nomen est Vicariorum Iudicium Adiunctorum.

§ 4. Tum Vicarius Iudicalis tum Vicarii Iudiciales Adiuncti esse debent sacerdotes, integrae famae, in iure canonico doctores vel ceteroquin periti, annos nati non minus triginta.

§ 5. Qui Vicarius Generalis est idemque Vicarius Iudicalis, sede vacante, cessat quidem a Vicarii Generalis non autem a Vicarii Iudicalis munere.

§ 6. Si Vicarius Iudicalis eligatur in Administratorem Dioecesanum, ipse novum nominat Vicarium Iudiciale.

Can. 20 (CIC 1574). § 1. In dioecesi constituantur ab Episcopo iudices dioecesani qui sint clerici. Necessitate suadente potest Conferentia Episcopalis permittere ut collegium iudicans constet ex uno viro laico et ceteris clericis.

§ 2. Iudices sint integrae famae et in iure canonico periti.

Can. 21 (novus). Removeri nequeunt Vicarius Iudicalis, Vicarius Iudicalis Adiunctus et iudices quivis nisi ex legitima gravique causa.

Can. 22 (novus). § 1. Plures dioecesani Episcopi, probante Sede Apostolica, possunt concordes, in locum tribunalum dioecesanorum de quibus in can. 18-20, unicum constituere pro suis dioecesibus tribunal primae instantiae; in quo casu ipse Episcoporum coetus vel Episcopus ab eo delegatus omnes habet potestates, quas Episcopus dioecesanus circa suum tribunal.

§ 2. Tribunalia de quibus in § 1 constitui possunt vel ad causas quaslibet vel ad aliqua tantum causarum genera.

§ 3. Etiam in casibus, de quibus in §§ 1 et 2, potest tamen unusquisque Episcopus in sua dioecesi tribunal constituere, cuius sit iudi-

care in primo gradu de causis quae processu contentioso summario tractantur, nisi actor malit petitionem coram tribunali ad normam §§ 1 et 2 competenti proponere.

Can. 23 (CIC 1575). Unicus iudex in quolibet iudicio duos assessores, clericos vel viros laicos probatae vitae, sibi consulentes adsciscere potest.

Can. 24 (CIC 1576). § 1. Reprobata contraria consuetudine tribunal collegiali trium iudicium reservantur:

1) causae contentiosae: *a*) de vinculo sacrae ordinationis et oneribus eidem adnexis; *b*) de vinculo matrimonii, firmo praescripto can. 351 et 353.

2) causae criminales: *a*) de delictis quae poenam dimissionis a statu clericali secum ferre possunt; *b*) de irroganda vel declaranda excommunicatione.

§ 2. Episcopus causas difficiliores vel maioris momenti committere potest iudicio trium vel quinque iudicium.

§ 3. Tribunalis iudices, qui una cum praeside in singulis iudiciis collegium constituunt, Vicarius Iudicialis vocet ex ordine per turnum, nisi Episcopus aliter in singulis casibus statuerit.

§ 4. In primo iudicii gradu, si forte collegium constitui nequeat, in singulis casibus Conferentia Episcopalis permittere potest ut causa iudici unico clero committatur, qui, ubi fieri possit, assessorem et auditorem sibi asciscat.

§ 5. Iudices semel designatos ne subroget Vicarius Iudicialis, nisi ex gravissima causa, in decreto sub poena nullitatis exprimenda.

Can. 25 (CIC 1577). § 1. Tribunal collegiale collegialiter procedere debet, et ad maiorem suffragiorum partem sententias ferre.

§ 2. Eidem praeesse debet, quatenus fieri potest, Vicarius Iudicialis vel Vicarius Iudicialis Adiunctus.

Can. 26 (CIC 1579). § 1. Si controversia sit inter religiosos vel domos eiusdem religionis clericalis iuris pontificii, iudex primae instantiae, nisi aliud in constitutionibus caveatur, est Superior provincialis, aut, si monasterium sit sui iuris, Abbas localis.

§ 2. Salvo diverso constitutionum praescripto, si res contentiosa

agatur inter duas provincias, in prima instantia iudicabit ipse per se vel per delegatum supremus religionis Moderator; si inter duo monasteria, supremus Moderator Congregationis monasticae.

§ 3. Si demum controversia enascatur inter religiosas personas physicas vel iuridicas diversae religionis, aut etiam eiusdem religionis clericalis iuris dioecesani vel laicalis, aut inter personam religiosam et clericum saecularem vel laicum vel personam moralem saecularem, iudicat in prima instantia tribunal dioecesanum.

Art. 2

DE AUDITORIBUS ET RELATORIBUS

Can. 27 (CIC 1580, 1581, 1582). § 1. Iudex vel tribunalis collegialis praeses potest auditorem designare ad causae instructionem peragendam, eum seligens aut ex tribunalis iudicibus aut ex personis ab Episcopo ad hoc munus approbatis.

§ 2. Episcopus potest ad auditoris munus approbare clericos vel viros laicos, qui bonis moribus, prudentia et doctrina fulgeant.

§ 3. Auditoris est tantum probationes secundum iudicis mandatum colligere easque collectas iudici tradere. Potest autem, nisi iudicis mandatum obstet, interim decidere quae et quomodo probationes colligendae sint si forte de hac re quaestio oriatur dum ipse munus suum exerceat.

Can. 28 (CIC 1584). Tribunalis collegialis praeses debet unum de iudicibus collegii ponentem seu relatorem designare qui in coetu iudicium de causa referat et, nisi gravis causa aliud suadeat, sententias in scriptis redigat; et ipsi idem Praeses alium ex iusta causa substituere potest.

Art. 3

DE PROMOTORE IUSTITIAE ET VINCULI DEFENSORE

Can. 29 (CIC 1586). Constituatur in dioecesi *promotor iustitiae* ad causas tum contentiosas, in quibus bonum publicum in discrimen vocari potest, tum criminales.

Can. 30 (novus). § 1. In causis contentiosis Ordinarii est iudicare utrum bonum publicum in discrimen vocari possit necne, nisi interventus promotoris iustitiae ex natura rei evidenter necessarius dicendus sit, ut cum agatur de Ecclesiae libertate vel de minorum personarumque iuridicarum iuribus.

§ 2. Si in praecedentibus instantiis intervenerit promotor iustitiae, huius interventus praesumitur necessarius.

Can. 31 (CIC 1586). Ad causas in quibus agitur de nullitate sacrae ordinationis aut de nullitate vel dissolutione matrimonii constitutatur in dioecesi *defensor vinculi*, qui officio tenetur proponendi et exponendi omne quod rationabiliter adduci possit adversus nullitatem vel dissolutionem.

Can. 32 (CIC 1587). § 1. In causis in quibus promotoris iustitiae aut defensoris vinculi praesentia requiritur, iis non citatis, acta irrita sunt, nisi ipsi, etsi non citati, revera interfuerint.

§ 2. Si legitime citati aliquibus actibus non interfuerint, acta quidem valent, verum postea eorum examini subiicienda sunt ut ea omnia sive voce sive scriptis possint animadvertere et proponere quae necessaria aut opportuna iudicaverint.

Can. 33 (novus). § 1. Nisi aliud expresse caveatur:

1) quoties lex praecipit ut iudex partes earumve alteram audiat, etiam promotor iustitiae et vinculi defensor, si iudicio intersint, audiendi sunt;

2) quoties instantia partis requiritur ut iudex quid decernere possit, instantia promotoris iustitiae vel vinculi defensoris, qui iudicio intersint, eandem vim habet.

§ 2. Numquam autem ad promotorem iustitiae applicari poterunt normae de actoris absentia, de partium interrogationibus ac declarationibus; neque promotori iustitiae iusiurandum ullum deferri potest.

Can. 34 (CIC 1588). § 1. Eadem persona, non autem in eadem causa, officium promotoris iustitiae et defensoris vinculi gerere potest, nisi obstet multiplicitas negotiorum et causarum.

§ 2. Promotor et defensor constitui possunt tum ad universitatem

causarum tum ad singulas causas; possunt autem ad Episcopo, iusta de causa, removeri, servato iure particulari.

Can. 35 (CIC 1589). § 1. Episcopi est promotorem iustitiae et vinculi defensorem nominare, qui sint clerici integrae famae, in iure canonico doctores vel ceteroquin periti, ac prudentia et iustitiae zelo probati. Viri laici autem deputari possunt ad singulas causas si necessitas id suadeat.

§ 2. In tribunali religiosorum promotor iustitiae sit praeterea eiusdem religionis professus.

Art. 4

DE ALIIS TRIBUNALIS MINISTRIS

Can. 36 (CIC 1585). Cuilibet processui intersit notarius qui actuarii officio fungatur; adeo ut nulla habeantur acta, si non fuerint ab eo subscripta.

Can. 37 (CIC 1591 et 1592). Nisi lex particularis aliter caveat, ad acta iudicialia intimanda vel exsecutioni mandanda adhibeantur cursores de quorum nominatione, qualitatibus et remotione servandae sunt normae in ipsa lege particulari statutae.

Can. 38 (CIC 1593). Acta quae notarii et cursores conficiunt publicam fidem faciunt.

CAPUT II

DE TRIBUNALI ORDINARIO SECUNDÆ INSTANTIAE

Can. 39 (CIC 1594). § 1. A tribunali Episcopi Suffraganei appellatur ad tribunal Metropolitæ.

§ 2. In causis in prima instantia pertractatis coram Metropolita vel coram Archiepiscopo qui caret Suffraganeis vel coram Episcopo dioecesano immediate Sedi Apostolicae subiecto fit appellatio ad tribunal eius dioecesis quam ipsi, probante Sede Apostolica, stabiliter designaverint.

§ 3. Pro causis coram Superiore provinciali actis tribunal secundæ instantiae est penes Supremum Moderatorem; pro causis actis coram

Abbate locali, penes Supremum Moderatorem Congregationis monasticae; pro causis vero de quibus in can. 26, § 3, servetur praescriptum §§ 1-2 huius canonis.

Can. 40 (novus). § 1. Si quod tribunal primae instantiae unicum inter plures dioeceses, ad normam can. 22, constitutum sit, Conferentia Episcopalis debet tribunal secundae instantiae constituere, nisi illae dioeceses sint omnes eiusdem archidioecesis suffraganeae et Conferentia ad appellationes tribunal metropolitanum designet.

§ 2. Conferentia potest unum vel plura tribunalia secundae instantiae constituere, etiam praeter casus de quibus in § 1.

§ 3. Quod attinet ad tribunalia secundae instantiae, de quibus in §§ 1-2, Conferentia vel Episcopus ab ea delegatus omnes habet potestates, quas Episcopus dioecesanus circa suum tribunal.

Can. 41 (CIC 1596). Si collegialiter causa in prima instantia cognita fuerit, etiam in gradu appellationis collegialiter nec a minore iudicium numero definiri debet.

CAPUT III

DE ORDINARIIS APOSTOLICAE SEDIS TRIBUNALIBUS

Can. 42 (CIC 1597). Romanus Pontifex pro toto orbe catholico iudex est supremus, qui vel ipse per se ius dicit, vel per ordinaria Sedis Apostolicae tribunalia, vel per iudices a se delegatos.

Can. 43 (CIC 1598). Tribunal ordinarium a Romano Pontifice constitutum appellationibus recipiendis est Sacra Rota Romana.

Can. 44 (CIC 1599). § 1. Sacra Rota iudicat:

1) in secunda instantia causas quae ab ordinariis tribunalibus primae instantiae diiudicatae fuerint et ad Sanctam Sedem per appellationem legitimam deferantur;

2) in ultima instantia causas ab ipsa Sacra Rota et ab aliis quibusvis tribunalibus in secunda vel ulteriore instantia iam cognitas, quae in rem iudicatam non transierint.

§ 2. Hoc tribunal iudicat etiam in prima instantia causas de quibus

in can. 5, § 2 aliasve quas Romanus Pontifex sive motu proprio, sive ad instantiam partium ad suum tribunal advocaverit et Sacrae Rotae commiserit; easque, nisi aliud cautum sit in commissionis rescripto, Sacra Rota iudicat etiam in secunda et ulteriore instantia ope collegiorum trium iudicium seu turnorum qui sibi invicem succedunt.

Can. 45 (CIC 1603). § 1. Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, ad normam legum, de quibus in can. 3, § 1, et canonum qui de singulis negotiorum generibus vigent, videt:

1) de impugnationibus adversus sententias rotales deque recursibus ad causas coram Sacra Romana Rota pendentes vel actas attinentibus;

2) de conflictu competentiae inter tribunalia inferiora;

3) de conflictibus competentiae inter Sedis Apostolicae Dicasteria;

4) de contentionibus ex actu potestatis administrativae ecclesiasticae ortis;

5) de aliis negotiis vel quaestionibus, quae a Romano Pontifice vel a Romanae Curiae Dicasteriis ipsi deferantur.

§ 2. Supremi huius Tribunalis praeterea est, ad normam legum, de quibus in can. 3, § 1:

1) iustitiae recte administrationi invigilare, et in advocatos vel procuratores, si opus sit, animadvertere;

2) tribunalium, non excepta Sacra Romana Rota, competentiam prorogare;

3) de tribunalibus, de quibus in cann. 22 et 40, erigendis tractare.

TITULUS III
DE DISCIPLINA IN TRIBUNALIBUS SERVANDA

CAPUT I

DE OFFICIO IUDICUM ET TRIBUNALIS MINISTRORUM

Can. 46 (CIC 1925 § 1). Cum valde optandum sit ut lites in populo Dei evitentur, aut pacifice quamprimum componantur, proposita aliqua controversia quae privatum bonum respiciat, iudex in limine litis, aut quolibet alio processus stadio ante sententiam definitivam, partes hortetur, ut per transactionem vel compromissum in arbitros finis litis habeatur.

Can. 47 (CIC 1612). § 1. Si inter duos pluresve iudices eidem tribunalni appellationis subiectos, ad normam cann. 39-40, controversia oriatur quisnam eorum ad aliquod negotium competens sit, res definienda est a tribunali appellationis.

§ 2. Quodsi distinctis tribunalibus appellationis subsint, controversia definienda erit a tribunali appellationis illius iudicis, coram quo actio primo mota est; sin autem alterutrum tribunalium sit alterius tribunal appellationis, controversia definienda est a Signatura Apostolica.

Can. 48 (CIC 1571). Qui causam vidit in uno iudicii gradu vel advocatum aut procuratorem, promotorem iustitiae, vinculi defensorem, peritum vel testem egerit, nequit postea valide eandem causam cognoscere aut in eadem munus assessoris vel auditoris agere.

Can. 49 (CIC 1613). § 1. Iudex cognoscendam ne suscipiat causam, in qua ratione consanguinitatis vel affinitatis in quolibet gradu lineae rectae et in secundo, tertio et quarto gradu¹ lineae collateralis vel ratione tutelae et curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis, vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsius intersit, vel in qua aliquod ex muneribus de quibus in can. 48 egerit.

¹ In proposito iure recognito de personis, admittitur modus computandi gradus consanguinitatis et affinitatis iuri romano congruus.

§ 2. In iisdem adjunctis ab officio suo abstinere debent iustitiae promotor, defensor vinculi, assessor et auditor.

Can. 50 (CIC 1614). § 1. In casibus, de quibus in cann. 48 et 49, nisi iudex ipse abstineat, pars potest eum recusare.

§ 2. De recusatione videt Episcopus tribunalis moderator.

§ 3. Si ipse Episcopus sit iudex et contra ipsum recusatio opponatur, vel abstineat a iudicando, vel quaestionem recusationis committat tribunali appellationis.

§ 4. Si recusatio opponatur contra promotorem iustitiae, defensorem vinculi aut alios tribunalis administros, de hac exceptione videt praeses in tribunali collegiali vel ipse iudex, si unicus sit.

Can. 51 (CIC 1615). § 1. Si recusatio iudicis unici vel aliquorum vel omnium iudicium, qui tribunal collegiale constituunt, admittatur, personae mutari debent, non vero iudicii gradus.

§ 2. Episcopi autem est in locum iudicium vel ministrorum, qui recusati sunt, alios subrogare.

§ 3. Quod si ipsius Episcopi recusatio admissa sit, idem peragat tribunal appellationis.

Can. 52 (CIC 1616). § 1. Quaestio de recusatione expeditissime definienda est, auditis partibus, promotore iustitiae vel vinculi defensore, si intersint, neque ipsi recusati sint.

§ 2. Actus positi a iudice, cuius recusatio admissa est, validi sunt, praeter casus de quibus in can. 48; qui autem positi sunt post petitam recusationem, rescindi debent, si pars petat intra decem dies ab admissa recusatione.

Can. 53 (CIC 1618 et 1619). § 1. In negotio quod privatorum solummodo interest, iudex procedere potest dumtaxat ad instantiam partis. Causa autem legitime introducta ad normam can. 138 sqq., iudex procedere potest et debet ex officio, praeter alios casus iure expressos, in causis criminalibus aliisque quae publicum Ecclesiae bonum aut animarum salutem respiciunt.

§ 2. Potest autem praeterea iudex partium neglegentiam in probationibus afferendis vel in exceptionibus opponendis supplere, quoties id necessarium censeat ad vitandam graviter iniustam sententiam, firmis praescriptis cann. 217 et 259.

Can. 54 (CIC 1620). § 1. Iudices et tribunalia curent ut quam-primum, salva iustitia, causae omnes terminentur, utque in tribunali primae instantiae ultra annum cum dimidio non protrahantur, in tribunali vero secundae instantiae ultra novem menses. Quodsi termini ita statuti non serventur, ratio statim reddenda est Sanctae Sedi.

§ 2. Si partes se gravatas putent a negligentia iudicis recurrere semper possunt ad Episcopum.

Can. 55 (CIC 1621). § 1. Excepto Episcopo qui per se potestatem iudicariam exerceat, omnes qui tribunal constituant aut eidem opem ferunt, iusiurandum de officio rite et fideliter implendo coram Ordinario vel coram iudice a quo electi sunt, vel coram sacerdote ab alterutro delegato, praestare debent: idque ad initio suscepti officii, si sint stabiles, aut antequam causa agatur, si pro peculiari aliqua causa sint constituti.

§ 2. Etiam iudex a Sede Apostolica delegatus vel iudex ordinarius in religione clericali iuris pontificii idem iusiurandum praestare debet cum primum tribunal constituitur, adstante ipsius tribunalis notario, qui de praestito iureiurando actum redigat.

Can. 56 (CIC 1622). § 1. Quotiescumque iusiurandum praestatur sive a iudicibus aut tribunalis administris, sive a partibus, testibus, peritis, interpretibus, semper emitte debet praemissa divini Nominis invocatione et tacto Evangeliorum libro.

§ 2. Iudex partem, testem aut peritum aut interpretem ad iusiurandum recipiens, eum regulariter commonefaciat tum de sanctitate actus et de gravissimo delicto quod admittunt iuris iurandi violatores, tum etiam de poenis in eos qui falsum in iudicio iurati affirmant.

§ 3. Iusiurandum secundum formulam a iudice probatam praestari debet coram eodem iudice aut eius delegato, adstantibus partibus quae interesse velint.

Can. 57 (CIC 1623). § 1. In iudicio criminali semper, in contentious autem si ex revelatione alicuius actus processualis praiejudicium partibus obvenire possit, iudices et tribunalis adiutores tenentur ad secretum officii.

§ 2. Tenentur etiam semper ad secretum servandum de discussione quae inter iudices in tribunali collegiali ante ferendam sententiam habetur, tum etiam de variis suffragiis et opinionibus ibidem prolatis.

§ 3. Imo quoties causae vel probationum natura talis sit ut ex actorum vel probationum evulgatione aliorum fama periclitetur, vel praebatur ansa dissidiis, aut scandalum aliudve id genus incommodum oriatur, iudex poterit testes, peritos, partes earumque advocatos vel procuratores iureiurando adstringere ad secretum servandum.

Can. 58 (CIC 1624). Iudex et omnes tribunalis administrari, occasione agendi iudicii munera quaevis acceptare prohibentur.

Can. 59 (CIC 1625). § 1. Iudices qui, cum certe et evidenter competentes sint, ius reddere recusent, vel qui temere se competentes declarant, vel qui ex dolo aut gravi negligentia aliud litigantibus damnum inferant, congruis poenis a competenti auctoritate puniri possunt non exclusa officii privatione.

§ 2. Iudices qui secreti legem violare vel acta secreta cum aliis quoquo modo communicaverint, puniantur multa pecunaria aliisque poenis, privatione officii non exclusa, salvo iure particulari quo graviores poenae praescribantur.

§ 3. Iisdem sanctionibus subsunt tribunalis officiales et adiutores, si officio suo, ut supra, defuerint, quos omnes etiam iudex punire potest.

Can. 60 (CIC 1626). Cum iudex praevidet actorem probabiliter spretorum esse sententiam ecclesiasticam si forte haec ipsi sit contraria, et idcirco conventi iuribus non satis consultum iri, potest ad eiusdem conventi instantiam vel etiam ex officio, actorem adigere ad congruam cautionem praestandam pro ecclesiasticae sententiae observantia.

CAPUT II DE ORDINE COGNITIONUM

Can. 61 (CIC 1627). Iudices et tribunalia debent causas ad se delatas eo ordine cognoscere quo fuerunt propositae et in albo signatae, nisi qua earum celerem prae ceteris expeditionem exigat, quod quidem peculiari decreto, rationibus suffulto, a iudice seu a tribunali statuendum est.

Can. 62 (CIC 1628). § 1. Exceptiones dilatoriae, eae praesertim quae respiciunt personas et modum iudicii, proponendae et cognoscendae.

dae sunt ante contestationem litis, nisi contestata iam lite primum emerserint aut pars iureiurando affirmet eas tunc tantum sibi innotuisse.

§ 2. Exceptio tamen de incompetentia iudicis absoluta a partibus opponi potest in quovis statu et gradu causae.

Can. 63 (CIC 1610). § 1. Si exceptio proponatur contra iudicis competentiam, hac de re ipse iudex videre debet.

§ 2. In casu exceptionis de incompetentia relativa, si iudex se competentem pronuntiet, eius decisio non admittit appellationem, at non prohibentur cetera iuris remedia.

§ 3. Quod si iudex se incompetentem declareret, pars quae se gravatam reputat, potest intra quindecim dierum spatium provocare ad tribunal appellationis.

Can. 64 (CIC 1611). Iudex se incompetentem agnoscens, declarare tenetur suam incompetentiam absolutam, quovis momento causae; incompetentiam vero relativam debet declarare ante litis contestationem, neque postea potest nisi pars petat ad normam can. 62 § 1.

Can. 65 (CIC 1629). § 1. Exceptiones peremptoriae, quae dicuntur *litis finitae*, veluti exceptio rei iudicatae, transactionis, etc., proponi et cognosci debent ante contestationem litis; qui serius eas opposuerit, non est reiiciendus, sed condemnatur in expensis, nisi probet se oppositionem malitiosa non distulisse.

§ 2. Aliae exceptiones peremptoriae proponi debent post contestatam litem, et suo tempore tractandae sunt secundum regulas circa quaestiones incidentes.

Can. 66 (CIC 1630). § 1. Actiones reconventionales satius statim post litis contestationem, utiliter quovis iudicii momento, ante sententiam tamen, proponi possunt.

§ 2. Cognoscantur autem simul cum conventionali actione, hoc est pari gradu cum ea, nisi eas separatim cognoscere necessarium sit aut iudex opportunius existimaverit.

Can. 67 (CIC 1631). Quaestiones de cautione pro expensis iudicialibus praestanda aut de concessione gratuitii patrocinii, quod statim ab initio postulatum fuerit, et aliae huiusmodi videndae regulariter sunt ante litis contestationem.

Can. 68 (CIC 1633). § 1. Si quaestio praeiudicialis aliaeve incidentes oriantur, cognoscantur prius eae quarum solutio viam sternat ad aliarum solutionem.

§ 2. Quod si nullo nexu logico inter se cohaereant, quae prius ab alterutra parte propositae sunt, illae antea definitur.

§ 3. Si de spolio incidat quaestio, haec ante omnia est dirimenda.

CAPUT III DE TERMINIS ET DILATIONIBUS

Can. 69 (CIC 1634). § 1. Fatalia legis quae dicuntur, idest termini perimendis iuribus a lege constituti, prorogari non possunt.

§ 2. Termini autem iudiciales et conventionales, ante eorum lapsum, poterunt, iusta intercedente causa, a iudice, auditis vel potentibus partibus, prorogari.

§ 3. Caveat tamen iudex ne nimis diurna lis fiat ex prorogatione.

Can. 70 (novus). Ubi lex terminos haud statuat ad actus processuales peragendos, iudex illos praefinire debet, habita ratione naturae cuiuscumque actus et eiusdem difficultatum.

Can. 71 (CIC 1635). Si dies, ad actum iudicialem indictus, sit feriatus nec in decreto iudicis dicatur expresse tribunal vacaturum nihilominus causis cognoscendis, terminus intelligitur prorogatus ad primum sequentem diem non feriatum.

CAPUT IV DE LOCO ET TEMPORE IUDICII

Can. 72 (CIC 1636). Uniuscuiusque tribunalis sedes sit, quantum fieri potest, stabilis, servatis normis iure particulari de hac re statutis.

Can. 73 (CIC 1637). Iudex e territorio suo vi expulsus vel a iurisdictione ibi exercenda impeditus, potest extra territorium iurisdictionem suam exercere et sententiam ferre, certiore tamen hac de re facto loci Ordinario.

Can. 74 (CIC 1638 et 1639). Episcopus, publico decreto statuat:

- 1) quibus horis tribunal adiri possit;
- 2) quibus diebus, quamvis non sint festi de paecepto, omnia vel nonnulla acta iudiciaia fieri non liceat, nisi ex causa necessitatis.

CAPUT V

DE PERSONIS AD DISCEPTIONEM IUDICIALEM ADMITTENDIS ET DE MODO CONFICIENDI ET CONSERVANDI ACTA

Can. 75 (CIC 1640). § 1. Nisi aliter lex particularis caveat, dum causae coram tribunali aguntur omnes ab aula arceantur et ii tantummodo adsint quos lex aut iudex ad processum expediendum necessarios esse statuerit.

§ 2. Omnes, iudicio assistentes, qui reverentiae et oboedientiae tribunali debitae graviter defuerint, iudex, etiam illico et incontinenti si coram tribunali sedente quis peccaverit, potest congruis poenis ad officium reducere, advocatos praeterea et procuratores etiam a munere apud tribunalia ecclesiastica exercendo suspendere.

Can. 76 (CIC 1641). Si alicui actui processuali interveniat persona linguae loci ignara et iudices ac partes linguam huius personae propriam non intelligent, interpres adhibeatur iuratus, et a iudice designatus, contra quem alterutra pars legitimam exceptionem non proposuerit. Illius autem declarationes scripto redigantur lingua originaria et translatio addatur.

Can. 77 (novus). Si pars vel testis sit surdus, mutus, vel surdus et mutus, interrogationes vel responsiones vel utraeque scripto fieri possunt, nisi iudex interpretis opera uti malit.

Can. 78 (CIC 1642). § 1. Acta iudiciaia, tum quae meritum quaestionis respiciunt, seu acta causae, ex. gr. sententiae et cuiusque generis probationes, tum quae ad formam procedendi pertinent, seu acta processus, ex. gr. citationes, intimations, etc., scripto redacta esse debent.

§ 2. Interrogationes et responsiones partium et testium, aliaque

similia, lingua vernacula confici debent. Alia acta, quatenus fieri potest, latina lingua redigantur.

Can. 79 (CIC 1643). § 1. Singula folia processus numerentur; et actuarii subscriptio cum sigillo tribunalis apponatur in unoquoque folio.

§ 2. Singulis actis completis vel interruptis seu ad aliam sessionem remissis, apponatur subscriptio actuarii et iudicis vel tribunalis praesidis.

§ 3. Quoties in actis iudicialibus partium aut testium subscriptio requiritur, si pars aut testis hanc facere nequeat vel nolit, id in ipsis actis adnotetur, simulque iudex et actuarius fidem faciant actum ipsum de verbo ad verbum parti aut testi perlectum fuisse, et partem aut testem vel non potuisse vel noluisse subscribere.

Can. 80 (CIC 1644). § 1. In casu appellationis, actorum exemplaria ad normam can. 78-79 conscripta et in fasciculum religata, cum indice omnium actorum et documentorum et cum testificatione actuarii seu cancellarii de eorum fideli transcriptione et integritate, mittantur ad superius tribunal; si exemplaria sine gravi incommmodo exscribi nequeant, mittantur cum opportunis cautelis acta ipsa originalia.

§ 2. Si eomittenda sint ubi vernacula lingua non sit cognita, acta ipsa in linguam ibi communiter cognitam vertantur, adhibitis cautelis ut de fideli translatione constet;

§ 3. In causis in quibus appellans, qui ad Sedem Apostolicam provocat, ad patrocinium gratuitum iam admissus fuerit, versio actorum fit cura tribunalis coram quo acta ipsa exarata sunt.

Can. 81 (CIC 1645). § 1. Iudicio expleto, documenta processui praeconstituta, quae in privatorum dominio censentur, partibus restitui debent, retento tamen eorum exemplari.

§ 2. Acta et documenta omnia, quae apud tribunal manent, in archivo tribunalis deponantur sive publico sive secreto, prout eorum natura exigit.

§ 3. Notarii, actuarii et cancellarius sine iudicis mandato tradere prohibentur exemplar actorum iudicialium et documentorum quae sunt processui acquisita.

§ 4. Anonymae epistulae, quae nihil ad causae meritum conferunt itemque subscriptae, quae certo sint calumniosae, in actis poni nequeunt.

TITULUS IV
DE PARTIBUS IN CAUSA

CAPUT I
DE ACTORE ET DE REO CONVENTO

Can. 82 (CIC 1646). Quilibet, sive baptizatus sive non baptizatus, potest in iudicio agere; reus autem legitime conventus respondere debet.

Can. 83 (CIC 1647). Licet actor vel reus conventus procuratorem vel advocatum constituerit, semper tamen tenetur in iudicio ipsam adesse ad praescriptum iuris vel iudicis.

Can. 84 (CIC 1648 et 1650). § 1. Pro minoribus et iis qui rationis usu destituti sunt, agere et respondere tenentur eorum parentes aut tutores vel curatores.

§ 2. Si iudex existimet ipsorum iura esse in conflictu cum iuribus parentum vel tutorum vel curatorum, aut hos non satis tueri posse ipsorum iura, tunc stent in iudicio per curatorem a iudice datum.

§ 3. Sed in causis spiritualibus et cum spiritualibus connexis, si minores usum rationis assecuti sint, agere et respondere queunt sine patris vel tutoris consensu; et quidem, nisi lex particularis aliud statuat, si aetatem quatuordecim annorum expleverint, etiam per se ipso; si non expleverint, per curatorem Episcopi dioecesani auctoritate constitutum.

§ 4. Bonis interdicti, et ii qui minus firmae mentis sunt, stare in iudicio per se ipsi possunt tantummodo ut de propriis delictis respondeant, aut ad praescriptum iudicis; in ceteris agere et respondere debent per suos curatores.

Can. 85 (CIC 1651). § 1. Ubi tutor vel curator a civili auctoritate constitutus adest, hic a iudice ecclesiastico admitti potest auditio, si fieri potest, Episcopo dioecesano eius cui datus est.

§ 2. Si tutor vel curator non est a civili auctoritate constitutus, vel, et si constitutus, non est a iudice ecclesiastico admissus, ipse iudex curatorem ad causam designabit iudicialiter vel administrative pro sua pastorali prudentia.

Can. 86 (CIC 1649, 1652, 1653). § 1. Personae iuridicae representantur hoc modo:

- 1) Ecclesia cathedralis ab Episcopo, aliae ecclesiae a rectore;
- 2) dioecesis et mensa episcopalibus ab Episcopo et alia beneficia a beneficiariis;
- 3) paroecia a parocho;
- 4) seminarium a rectore;
- 5) aliae personae iuridicae, si sunt collegiales representantur ad normam constitutionum vel statutorum, non collegiales vero ad normam tabularum fundationis vel decreti erectionis; quae si de hac re sileant, Episcopus dioecesanus supplebit.

§ 2. Quoties periculo vertitur pecuniae summa ad quam alienandam alicuius consensus vel consilium vel licentia requiritur, idem consensus vel consilium vel licentia requiritur etiam ad litem inchoandam vel contestandam.

§ 3. Adversus eos de quibus in § 1, si in iudicio egerint non servato praescripto § 2, personae iuridicae ius est ad refectionem damnorum.

§ 4. In casu vero defectus vel negligentiae representantis, potest ipse Ordinarius per se vel per alium stare in iudicio nomine personarum iuridicarum quae sub eius iurisdictione sunt.

CAPUT II

DE PROCURATORIBUS AD LITES ET ADVOCATIS

Can. 87 (CIC 1655). § 1. In iudicio criminali reus aut a se electum aut a iudice datum semper habere debet advocatum.

§ 2. Etiam in iudicio contentioso, si agatur de minoribus aut de iudicio in quo bonum publicum vertitur, iudex parti carenti defensorem

ex officio constituat, aut, si casus ferat, parti etiam habenti alium adiungat.

§ 3. Praeter hos casus pars libere potest advocatum et procuratorem sibi constituere, sed potest quoque in iudicio per se ipsa agere et respondere, nisi iudex procuratoris vel advocati ministerium necessarium existimaverit.

§ 4. At Episcopus, si quando in causa est, aliquem constituat, qui eius personam, procuratorio nomine, gerat.

Can. 88 (CIC 1656). § 1. Unicum quisque potest constituere procuratorem, qui nequit alium sibimet substituere, nisi expressa facultas eidem facta fuerit.

§ 2. Quod si, iusta causa suadente, plures ab eodem constituantur, hi ita designentur, ut detur inter ipsos locus praeventioni.

§ 3. Advocati autem plures simul constitui queunt.

§ 4. Utrumque munus, procuratoris et advocati, etiam in eadem causa et pro eodem cliente eadem persona exercere potest.

Can. 89 (CIC 1657). § 1. Procurator et advocatus esse debent catholici, aetate maiores, bonae famae; acatholicus non admittitur, nisi per exceptionem et ex necessitate.

§ 2. Advocatus debet praeterea esse doctor vel alioqui vere peritus, saltem in iure canonico.

§ 3. Qui usque ad quartum consanguinitatis vel affinitatis gradum coniunctus est cum iudicibus, promotore iustitiae vel defensore vinculi alicuius causae, non potest in eadem causa fungi munere procuratoris vel advocati.

Can. 90 (CIC 1658). § 1. Quilibet a parte potest constitui procurator, dummodo secundum praecedentem canonem idoneus sit, quin opus sit ut Ordinarii approbatio antecesserit.

§ 2. Advocatus autem ut ad patrocinium admittatur indiget licentia Episcopi quae aut generalis sit ad omnes causas aut specialis pro certa causa.

§ 3. In iudicio coram Sanctae Sedis delegato, ipsius delegati est approbare et admittere advocatum, quo pars uti se velle ostenderit.

§ 4. Procurator et advocatus, in causis quae ad normam can. 26,

§§ 1-2 aguntur in religionis tribunali, eligendi sunt ex eadem religione et ante patrocinii susceptionem approbandi a iudice qui causam videt.

Can. 91 (CIC 1659). § 1. Procurator ne prius a iudice admittatur quam speciale mandatum ad lites scriptum, mandantis subscriptione munitum, et locum, diem, mensem et annum referens, apud tribunal deposuerit.

§ 2. Quod si mandans scribere nesciat vel nequeat hoc ipsum ex scriptura constet necesse est, et parochus vel notarius curiae vel duo testes, loco mandantis, mandatum subsignent.

Can. 92 (CIC 1660). Mandatum procriptionis asservari debet in actis cause.

Can. 93 (CIC 1661). Advocatus, ut cause patrocinium suscipiat, necesse est a parte vel a iudice mandatum habeat de quo in actis constare debet.

Can. 94 (novus). Si quis, cum mandatum nequeat probare, libellum iudiciale ad iuris extinctionem impediendam exhibere nomine alterius velit, vel singulos actus urgente necessitate ponere in processu, potest arbitrio iudicis admitti, praestita, si res ferat, idonea cautione; actus autem qualibet vi caret, nisi, intra terminum peremptorium a iudice statuendam, mandatum rite probet.

Can. 95 (novus). Procuratori valide notificantur omnia acta processualia quae partibus notificari debent vel possunt, nisi iudex aliter statuat.

Can. 96 (CIC 1662). Nisi speciale mandatum habuerit, procurator non potest valide renuntiare actioni, instantiae vel actis iudicibus, nec transigere, pacisci, compromittere in arbitros, deferre aut referre iusiurandum et generatim ea agere pro quibus ius requirit mandatum speciale.

Can. 97 (CIC 1663). Tum procurator tum advocatus possunt a iudice, dato decreto, repelliri sive ex officio sive ad instantiam partis, iusta tamen de causa.

Can. 98 (CIC 1664). § 1. Advocati et procuratores possunt ab eo a quo constituti sunt, removeri, salva obligatione solvendi honora-

ria ipsis debita; verum ut remotio effectum sortiatur, necesse est ut ipsis intimetur, et, si lis iam contestata fuerit, iudex et adversa pars certiores facti sint de remotione.

§ 2. Lata definitiva sententia, ius et officium appellandi, si mandans non renuat, procuratori manet.

§ 3. Advocati et procuratores vetantur renunciare mandato, lite pendente, nisi iusta de causa, a tribunalii probanda.

Can. 99 (CIC 1665). § 1. Vetatur uterque emere litem, aut sibi de immodico emolumento vel rei litigiosae parte vindicata pacisci.

§ 2. Quae si fecerint, nulla est pactio, et a iudice poterunt poena pecuniaria multari; advocatus praeterea tum ab officio suspendi, tum etiam, si recidivus sit, destitui et titulo privari ab Episcopo tribunalis moderatore.

Can. 100 (CIC 1666). Advocati ac procuratores qui ob dona aut pollicitationes aut quamlibet aliam rationem suum officium prodiderint, a patrocinio exercendo suspendantur, et multa pecuniaria aliisve congruis poenis plectantur.

Can. 101 (novus). In unoquoque tribunali, quatenus fieri possit, stabiles patroni constituantur, ab ipso tribunali stipendum recipientes, qui munus advocati vel procuratoris in causis praesertim matrimonialibus pro partibus quae eos seligere malint, exerceant, secundum normas lege particulari statuendas.

TITULUS V
DE ACTIONIBUS ET EXCEPTIONIBUS

Can. 102 (CIC 1667). Quodlibet ius non solum actione munitur, nisi aliud expresse cautum sit, sed etiam exceptione, quae semper competit et est suapte natura perpetua.

Can. 103 (CIC 1668). § 1. Qui ad rem sibi vindicandam, seu ad ius suum in iudicio persequendum titulo agit iuris auctoritate subnixo, actione dimicat quae petitoria dicitur.

§ 2. Si vero rei possessionem vel iuris quasi-possessionem postulat, eius actio possessoria vocatur.

Can. 104 (CIC 1669). § 1. Actor pluribus simul actionibus, quae tamen secum ipsae non configlant, sive de eadem re, sive de diversis, reum convenire potest, si aditi tribunalis competentiam non egrediantur.

§ 2. Reus non prohibetur pluribus exceptionibus etiam contrariis uti.

Can. 105 (CIC 1670). § 1. Actor potest una instantia cumulare actiones possessorias et petitorias, nisi spolii exceptio ex adverso opponatur.

§ 2. Pariter potest reus conventus in petitorio, actorem reconvenire in possessorio; et vice versa, nisi res sit de spolio.

Can. 106 (CIC 1671). § 1. Potest actor, antequam conclusum fuerit in causa, ab instituto iudicio petitorio regredi ad possessorium adipiscendae vel recuperandae.

§ 2. Imo ex iusta causa iudex etiam post conclusionem in causa, sed ante sententiam definitivam, hunc regressum permittere potest.

§ 3. Iudicis est, attentis partium allegationibus, aut utramque quaequestionem unica sententia definire, aut prius uni, postea alteri satisfacere, prouti magis expedire ipsi videatur ad celeriorem et pleniores iurum tuitionem et firmis praescriptis can. 68 § 1 et 133, § 1.

CAPUT I

DE SEQUESTRATIONE ET INHIBITIONE EXERCITII IURIS ATQUE DE ALIMENTIS PRAESTANDIS

Can. 107 (CIC 1672). § 1. Qui probabilibus saltem argumentis ostenderit super aliqua re ab alio detenta ius se habere sibique damnum imminere nisi res ipsa custodienda tradatur, ius habet obtainendi a iudice eiusdem rei sequestrationem.

§ 2. In similibus rerum adiunctis obtainere potest ut iuris exercitium alicui inhibeatur.

§ 3. Sequestratio rei et inhibitio exercitii iuris a iudice decerni potest ex officio, instante praesertim promotore iustitiae aut defensore vinculi, quoties bonum publicum, vel tuitio minorum eorumque qui minorum iure fruuntur id postulare videatur.

Can. 108 (CIC 1673). § 1. Ad crediti quoque securitatem sequestratio rei admittitur, dummodo de creditoris iure manifesto constet et servata norma de qua in can. 316.

§ 2. Sequestratio extenditur etiam ad res debitoris quae quolibet titulo apud alias personas reperiantur, et ad debitoris credita.

Can. 109 (CIC 1674). Sequestratio rei et inhibitio exercitii iuris decerni nullatenus possunt, si damnum quod timetur, possit aliter reparari et idonea cautio de eo reparando offeratur.

Can. 110 (novus). Iudex potest ei cui sequestrationem rei vel inhibitionem exercitii iuris concedit, praeviam imponere cautionem de damnis, si ius suum non probaverit, resarcendis.

Can. 111 (CIC 1675). § 1. Ad custodiam rei sequestrationi subiectae idoneus sequester, proponentibus partibus, a iudice designetur; si partes inter se dissentiant, iudex ipse sequestrem deligat.

§ 2. Sequester in re custodienda, curanda et servanda non minorem diligentiam adhibere debet quam suis adhibet rebus, remque postea, cui iudex decreverit, reddere debet cum omni causa.

§ 3. Iudex congruam decernat mercedem sequestri, si eam petat.

Can. 112 (novus). § 1. In causis matrimonialibus, libello vel orali petitione admissa, coniux postulare potest ut iudex sua filiorumque minorum securitati provideat.

§ 2. Si minores adsint liberi statuat iudex per decretum cui committi debeant pendente processu.

Can. 113 (novus). Quoties introducta est petitio ad obtinendam provisionem ad hominis sustentationem, iudex auditis partibus, decreto statim exsequendo, statuere potest, idoneis si res ferat praescriptis cautionibus, ut interim necessaria alimenta praestentur, sine praeiudicio iuris per sententiam definiendi.

Can. 114 (novus). Proposita a parte vel a promotore iustitiae petitione ad obtinendum decretum de quo in can. 113, iudex, audita altera parte, expeditissime provideat, numquam autem ultra decem dies; quibus inutiliter transactis, aut petitione reiecta, patet recursus ad Episcopum tribunalis moderatorem, dummodo ipse ne sit iudex, vel, si quis malit, ad iudicem appellationis, qui item expeditissime decernant.

CAPUT II

DE ACTIONIBUS EX NOVI OPERIS NUNTIATIONE ET DAMNO INFECTO VEL COMPENSANDO¹

Can. 115. Novi operis nuntiatio et actio de damno infecto dantur etiam in foro Ecclesiae, servatis praescriptis iuris civilis.

Can. 116. Quodlibet damnum iniuria datum resarcendum est ab eo cuius dolo vel culpa illatum sit, vel etiam, si ita ius civile vel aequitas postulet, ab eo qui sine sua culpa damno causam dederit.

Can. 117. Ius civile, in casibus de quibus in cann. 115-116, eatenus servandum est, quatenus neque contra ius divinum sit neque contra aequitatem canonicae, et nisi aliter iure canonico caveatur.

¹ Cfr. canones 1676-1678 CIC.

CAPUT III

DE ACTIONIBUS OB NULLITATEM ACTORUM

Can. 118 (CIC 1679). Si actus aut contractus sit ipso iure nullus, datur ei, cuius interest, actio ad obtainendam a iudice declarationem nullitatis.

Can. 119 (CIC 1680). § 1. Nullitas actus tunc tantum habetur, cum in eo deficiunt quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut sollemnia seu condiciones desiderantur a canonibus ad validitatem requiritae.

§ 2. Nullitas alicuius actus importat nullitatem actuum qui ab actu nullo dependent.

Can. 120 (CIC 1681). Qui actum posuit nullitatis vitio infectum, tenetur de damnis et expensis erga partem laesam si illicite egerit.

Can. 121 (CIC 1683). Iudex infra Romanum Pontificem de confirmatione ab Ipso actui vel instrumento adiecta, videre non potest, nisi Apostolicae Sedis praecesserit mandatum.

CAPUT IV

DE ACTIONIBUS RESCISSORIIS²

Can. 122 De rescissione actuum, qui ex iure ecclesiastico sint validi sed rescindibiles, serventur, opportune aptata, praescripta iuris civilis, nisi iure divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur.

Can. 123 Quod si actio ad normam iuris civilis praeescriptione vel decadentia extincta sit antequam is, qui ius habet petendi rescissionem, uno anno maiorem aetatem excesserit, ad hunc diem prorogatur.

² Cfr. canones 1684-1686 CIC.

CAPUT V
DE ACTIONIBUS RECONVENTIONALIBUS

Can. 124 (CIC 1690). § 1. Actio quam reus coram eodem iudice in eodem iudicio instituit contra actorem vel propter causae nexum cum actione principali vel ad submovendam vel minuendam actoris petitio-nem, dicitur reconventio.

§ 2. Reconventio reconventionis non admittitur.

Can. 125 (CIC 1691). Actio reconventionalis locum habere po-test in omnibus causis contentiosis, exceptis causis spolii.

Can. 126 (CIC 1692). Proponenda est iudici coram quo actio principalis instituta est, licet ad unam causam dumtaxat delegato vel alioquin incompetenti, nisi, ad actionem reconventionalem quod atti-net, is sit absolute incompetens.

CAPUT VI
DE ACTIONIBUS SEU REMEDIIS POSSESSORIIS

Can. 127 (CIC 1693). Qui ad possessionem alicuius rei adipiscen-dam, vel ad alicuius iuris exercitium obtinendum munitur titulo legitimo, petere potest, ut in rei possessionem vel iuris exercitium immittatur.

Can. 128 (CIC 1694). Non solum possessio, sed etiam simplex detentio praestat, ad normam canonum qui sequuntur, actionem vel exceptionem possessoriam.

Can. 129 (CIC 1695). § 1. Qui annum integrum in possessione rei vel in quasi-possessione iuris manserit, si molestiam patiatur quo-minus suam possessionem vel quasi-possessionem retineat, habet actionem retinendae possessionis.

§ 2. Haec actio non admittitur nisi intra annum ab illata molestia aduersus molestiae auctorem ut a molestiis desistat.

Can. 130 (CIC 1696). § 1. Etiam qui vi, clam vel precario pos-sidet, actione retinendae possessionis uti potest aduersus quemlibet

deturbatorem: non autem contra personam a qua ipse rem vi vel clam surripuit aut precario accepit.

§ 2. In causis quae ad bonum publicum spectant, iustitiae promotori ius est opponendi vitium possessionis adversus eum qui vi, clam vel precario possidet.

Can. 131 (CIC 1697). § 1. Si inter duos controversia oriatur uter eorum possideat, ille in possessione praferendus est qui intra annum frequentiores et potiores possessionis actus exercuit.

§ 2. In dubio iudex possessionem pro indiviso utriusque parti attribuat.

§ 3. Si rei vel iuris indoles aut contentionum et rixarum periculum non patiantur ut litigantibus pro indiviso possessio interim attribuatur, iudex rem apud sequestrem deponi, aut iuris quasi-possessionem suspendi iubeat usque ad iudicii petitorii exitum.

Can. 132 (CIC 1698). § 1. Qui vi aut clam quoquo modo a possessione rei vel quasi-possessione iuris deiectus est, adversus quemlibet spolii auctorem vel rei detentorem habet actionem spolii seu recuperandae possessionis et spolii exceptionem.

§ 2. Haec actio non admittitur praeterlapso anno postquam spolium passus rei notitiam habuit; exceptio, contra, perpetua est.

Can. 133 (CIC 1699). § 1. Spoliatus adversus spoliantem excipiens et probans spolium, obligatione respondendi non tenetur, nisi prius fuerit in suam possessionem restitutus.

§ 2. Spoliatus ut in possessionem restituatur, nihil aliud probare debet, nisi spoliationem ipsam.

§ 3. Sed si in restitutione rei vel exercitii iuris aliquod occurrat periculum (uti saevitarum, cum vir contra uxorem postulat restitucionem coniugalis consortii), iudex, ad instantiam partis vel promotoris iustitiae, pro diversis adiunctis decernat aut restitutionem suspendi, aut rem vel personam apud sequestrem custodiri, donec causa petitorio iudicio definiatur.

Can. 134 (CIC 1700). Iudicia possessoria absolvenda sunt, cito dumtaxat adversa parte in iudiciis retinendae vel recuperandae; cito vero omnibus iis quorum interest, in iudiciis adipiscendae.

CAPUT VII
DE EXTINCTIONE ACTIONUM

Can. 135 (CIC 1701). In contentiosis actiones tum reales tum personales extinguiuntur praescriptione ad normam iuris; actiones autem de statu personarum numquam extinguiuntur.

Can. 136 (CIC 1702). De criminalis et poenalis actionis extincione serventur canones proprii.

PARS SECUNDA
DE IUDICIO CONTENTIOSO IN GENERE

TITULUS I
DE CAUSAE INTRODUCTIONE
CAPUT I
DE LIBELLO LITIS INTRODUCTORIO

Can. 137 (novus). Iudex nullam causam cognoscere potest, nisi petitio, ad normam canonum, proposita sit ab eo cuius interest, vel a promotore iustitiae.

Can. 138 (CIC 1706). Qui aliquem convenire vult debet libellum competenti iudici exhibere, in quo controversiae obiectum proponatur, et ministerium iudicis expostuletur.

Can. 139 (CIC 1707). § 1. Petitionem oralem iudex admittere potest, quoties vel actor libellum exhibere impediatur vel causa sit facilis investigationis et minoris momenti.

§ 2. In utroque tamen casu iudex notarium iubeat scriptis actum redigere qui actori legendus est et ab eo probandus.

Can. 140 (CIC 1708). Libellus quo lis introducitur debet:

1) exprimere coram quo iudice causa introducatur, quid petatur et a quo petatur;

2) indicare quibus argumentis et probationibus innitatur actor ad comprobanda ea quae allegantur et asseruntur;

3) subscribi ab actore vel eius procuratore, appositis die, mense et anno, nec non loco in quo actor vel eius procurator habitant, aut residere se dixerint actorum recipiendorum gratia.

Can. 141 (CIC 1709). § 1. Iudex unicus vel tribunalis collegialis praeses, postquam viderit et rem esse suae competentiae et actori legi-

timam personam standi in iudicio non deesse, debet suo decreto quampri-
mum libellum aut admittere aut reicere.

§ 2. Libellus reici potest tantum:

- 1) si iudex vel tribunal incompetens sit;
- 2) si sine dubio constet actori legitimam deesse personam standi
in iudicio;
- 3) si non servata sint praescripta can. 140, nn. 1 et 3;
- 4) si certo pateat ex ipso libello petitionem quolibet carere fun-
damento, neque fieri posse ut ullum ex processu fundamentum appareat.

§ 3. Si libellus reiectus fuerit ob vitia quae emendari possunt, actor
novum libellum rite confectum potest eidem iudici denuo exhibere;
quod si iudex emendatum libellum reiecerit, novae reiectionis rationes
exponere debet.

§ 4. Adversus libelli reiectionem integrum semper est parti intra
tempus utile decem dierum recursum interponere vel ad collegium, si
libellus reiectus fuerit a praeside, vel, in casu reiectionis a iudice unico
aut a collegio, ad tribunal appellationis; a quo, audita parte et promo-
tore iustitiae aut vinculi defensore, quaestio reiectionis expeditissime
definienda est.

Can. 142 (CIC 1710). § 1. Si iudex intra mensem ab exhibito
libello decretum non ediderit, quo libellum admittit vel reiicit ad nor-
mam can. 141, pars cuius interest instare potest ut iudex suo munere
fungatur; quod si nihilominus iudex sileat, inutiliter lapsis quinque die-
bus a facta instantia, libellus pro admisso habeatur.

§ 2. Lex particularis potest tempora, de quibus in § 1, breviora
statuere vel etiam, non tamen ultra duplum, longiora.

CAPUT II

DE CITATIONE ET DENUNTIATIONE ACTUUM IUDICIALIUM

Can. 143 (CIC 1711). § 1. In decreto, quo actoris libellus ad-
mittitur, debet iudex vel praeses ceteras partes in iudicium vocare seu
citare ad litem contestandam, designatis die et hora et loco compari-
tionis.

§ 2. Si libellus pro admisso habetur ad normam can. 142, decretum

citationis in iudicium fieri debet intra decem dies a facta instantia, de qua in eo canone.

§ 3. Quod si partes litigantes de facto coram iudice se sistant ad causam agendam, opus non est citatione, sed actuarius significet in actis partes iudicio adfuisse.

Can. 144 (CIC 1712-1713). § 1. Decretum citationis in iudicium debet statim parti conventae notificari, et simul aliis, qui comparere debent, notum fieri.

§ 2. Citationi libellus litis introductory adiungatur, nisi iudex propter graves causas censeat libellum significantum non esse parti antequam haec deposuerit in iudicium.

§ 3. Si lis moveatur ei qui non habet liberum exercitium suorum iurium, vel liberam administrationem rerum de quibus disceptatur, citatione denuntianda est, prout casus ferat, tutori, curatori, procuratori speciali, seu ei qui ipsius nomine iudicium suscipere tenetur ad normam iuris.

Can. 145 (CIC 1715). § 1. Citatio denuntietur per schedam quae, praeter actoris nomen, praeceptum iudicis ad comparendum exprimat, indicatis causa, loco, die et hora comparitionis et aliis quae lex particularis forte requirat.

§ 2. Citatio, sigillo tribunalis munita, subscribenda est a iudice vel ab eius auditore et a notario.

Can. 146 (CIC 1716). Citatio dupli scheda conficiatur, quarum altera remittatur parti conventae, altera asservetur in actis.

Can. 147 (CIC 1719). § 1. Citationis scheda denuntianda est per Curiae cursorem vel per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo qui secundum locorum leges et conditiones tutissimus sit, servatis normis lege particulari statutis.

§ 2. Receptae citationis documentum servetur in actis.

Can. 148 (CIC 1717). § 1. Citationis scheda, si fieri poterit, tradenda est ipsi convento ubicunque is invenitur.

§ 2. Ad hoc cursor etiam fines alterius dioecesis ingredi potest, si iudex id expedire censuerit et eidem cursori mandaverit.

§ 3. Si cursor personam conventam non invenerit in loco ubi com-

moratur, relinquere poterit citatoriam schedam alicui de eius familia aut famulatu, si hic eam recipere paratus sit ac spondeat se reo convento quamprimum schedam acceptam traditurum; sin minus eam ad iudicem referat, ut transmittatur ad normam can. 150.

§ 4. Lex particularis potest normas huius canonis complere vel iis derogare.

Can. 149 (CIC 1718). Conventus qui citatoriam schedam recipere recuset, vel qui impedit quominus citatio ad se perveniat, legitime citatus habeatur.

Can. 150 (CIC 1720-1722). § 1. Quoties, diligentि inquisitione peracta, adhuc ignoratur ubi commoretur pars citanda, locus est citationi per edictum.

§ 2. Hoc autem fit affigendo et ad fores ecclesiae paroecialis ultimi domicilii noti et ad fores tribunalis schedam citationis ad modum edicti per tempus prudentи iudicis arbitrio determinandum et in aliqua publica ephemeride eam inserendo.

§ 3. Si quod ex iis, quae in § 2 praescribuntur, fieri nequeat, unum saltem fiat, servatis praeterea, si quae sint, normis iuris particularis.

Can. 151 (CIC 1723). Si scheda citatoria non fuerit legitime intimata, nullius momenti sunt tum citatio tum acta processus, nisi pars nihilominus comparuerit ad causam tractandam.

Can. 152 (CIC 1724). Regulae superius statutae pro conventi citatione, ceteris quoque iudicij actibus, pro diversa tamen eorum natura, accommodandae et applicandae sunt, ut decretorum vel sententiarum denuntiationi aliisque huiusmodi.

Can. 153 (CIC 1725). Cum citatio legitime intimata fuerit ad normam cann. 147-150 aut partes coram iudice steterint ad causam tractandam:

- 1) res desinit esse integra;
- 2) causa fit propria illius iudicis aut tribunalis ceteroquin competentis, coram quo actio instituta est;
- 3) in iudice delegato firma redditur iurisdictio ita ut non expiret resoluto iure delegantis;

4) interrupitur praescriptio, nisi aliud cautum sit, ad normam can. 1508 (CIC);

5) possessor rei alienae desinit esse bonae fidei; ideoque, si damnatur ut rem restituat, fructus quoque a citationis die reddere debet, et damna sarcire;

6) lis pendere incipit; et ideo statim locum habet principium *« lite pendente, nihil innovetur ».*

TITULUS II
DE LITIS CONTESTATIONE

Can. 154 (CIC 1726). Obiectum seu materia iudicij determinatur litis contestatione qua proponuntur controversiae termini iudicialiter definiendi.

Can. 155 (CIC 1727-1728). Ad litis contestationem sufficit ut, partibus coram iudice vel eius delegato comparentibus, in actis inserantur partium petitiones responsonesque; in causis autem implicatioribus dubium vel dubia concordantur, quibus respondendum est in sententia.

Can. 156 (CIC 1729). § 1. Si dubia sint concordanda et qua pars non comparuerit, dubiorum formula statuatur a iudice, parte, quae praesens fuerit, id postulante. Parti autem absenti statim id notum fiat ex officio ut quas velit exceptiones contra dubiorum formulam possit proponere.

§ 2. Si vero partes dissentiant aut earum conclusiones iudici non probentur, iudex ipse controversiam dirimat decreto.

§ 3. Dubiorum formula semel statuta mutari non potest, nisi novo decreto, ex gravi causa, ad instantiam partis, vel promotoris iustitiae, vel defensoris vinculi, audita utraque vel alterutra parte eiusque rationibus perpensis.

Can. 157 (CIC 1731). Lite contestata, iudex congruum tempus partibus praestituat probationibus proponendis et explendis; quod quidem poterit, instantibus partibus, prudentia sua prorogare, dummodo ne lis, ultra quam aequum sit, protrahatur.

TITULUS III

DE LITIS INSTANTIA

Can. 158 (CIC 1732). Instantiae initium fit citatione; finis autem non solum pronuntiatione sententiae definitivae, sed etiam aliis modis a iure praefinitis.

Can. 159 (CIC 1733). Si pars litigans moriatur aut statum mutet aut cesset ab officio cuius ratione agit:

- 1) causa nondum conclusa, instantia suspenditur donec heres defuncti aut successor aut interesse habens item prosequatur;
- 2) causa conclusa, iudex procedere debet ad ulteriora, citato procuratore, si adsit, secus defuncti herede vel successore.

Can. 160 (CIC 1735). § 1. Procuratore vel tutele vel alio partis repraesentante a munere cessante, interim instantia suspensa manet.

§ 2. In casu, de quo in § 1, si quidem pars sit minor vel rationis usu destituta, iudex ipse curet ut novus repraesentans quamprimum constituantur; sin autem pars sit plene capax, iudex brevem terminum praeferiat, non ultra triginta dies utiles, ad novum repraesentantem constitendum, quo termino transacto pars censetur instantiae renuntiasse, nisi antea professa sit se deinceps per se ipsam acturam.

Can. 161 (CIC 1736). Si nullus actus processualis, quin aliquod obstet impedimentum, ponatur a partibus in tribunali primae instantiae per annum aut in gradu appellationis per sex menses, instantia perimitur. Lex particularis alios peremptionis terminos statuere potest.

Can. 162 (CIC 1737). Peremptio obtinet ipso iure et adversus omnes, minores quoque aliosve minoribus aequiparatos, eaque ex officio etiam declarari debet, salvo iure regressus ad indemnitatem adversus tutores, curatores, administratores, procuratores, qui culpa se caruisse non probaverint.

Can. 163 (CIC 1738). Peremptio extinguit acta processus, non vero acta causae; imo haec vim habere possunt etiam in alia instantia, dummodo ea inter easdem personas et super eadem re intercedat; sed ad extraneos quod attinet, non aliam vim obtinent nisi documentorum.

Can. 164 (CIC 1739). Perempti iudicij expensas, quas quisque ex litigatoribus fecerit, ipse ferat.

Can. 165 (CIC 1740). § 1. In quolibet statu et gradu iudicij potest actor instantiae renuntiare; item tum actor tum reus possunt processus actis renuntiare sive omnibus sive nonnullis tantum.

§ 2. Tutores et administratores personarum iuridicarum, ut renuntiare possint instantiae, egent consilio vel consensu eorum quorum concursus requiritur ad ponendos actus qui ordinariae administrationis fines excedunt.

§ 3. Renuntiatio ut valeat, peragenda est scripto, et a parte vel ab eius procuratore, speciali tamen mandato munito, debet subscribi, cum altera parte communicari, ab eaque acceptari, vel saltem non impugnari, et a iudice admitti.

Can. 166 (CIC 1741). Renuntiatio a iudice admissa, pro actis quibus renuntiatum est, eodem parit effectus ac peremptio instantiae; et obligat renuntiantem ad solvendas expensas actorum, quibus renuntiatum fuit.

TITULUS IV
DE PROBATIONIBUS

Can. 167 (CIC 1747-1748). § 1. Onus probandi incumbit ei qui asserit.

§ 2. Non indigent probatione:

- 1) facta notoria;
- 2) quae ab ipsa lege praesumuntur;
- 3) facta ab uno ex contendentibus asserta et ab altero admissa, nisi a iure vel a iudice probatio nihilominus exigatur.

Can. 168 (CIC 1749). § 1. Probationes cuiuslibet generis, quae ad causam cognoscendam utiles videantur et sint licitae, admitti possunt a iudice.

§ 2. Si pars instet ut probatio a iudice reiecta admittatur, ipse iudex rem expeditissime definiat.

Can. 169 (novus). Si qua pars vel testis coram sacerdote catholico se sistere ad respondendum renuat, audiatur per laicum ab Episcopo designatum; quod si ne id quidem fieri possit, requiratur eius declaratio coram publico notario vel alio legitimo modo peracta.

Can. 170 (CIC 1730). Iudex ad testimoniorum aliarumque probationum receptionem ne procedat ante litis contestationem nisi ob iustum et gravem causam.

CAPUT I
DE DECLARATIONIBUS PARTIUM¹

Can. 171. § 1. Quoties id utile censeat ad veritatem aptius eruendam iudex debet partes interrogare, si pars aliqua petat, vel si publice intersit ut factum aliquod extra dubium ponatur; in ceteris casibus eas interrogare potest.

¹ Cfr. cann. 1742-1746 et cann. 1750-1753 CIC.

§ 2. Interrogationes fieri debent a iudice, nisi iure particulari aliter caveatur.

Can. 172. § 1. Pars legitime interrogata debet respondere et veritatem integre fateri, nisi agatur de delicto ab ipsa commisso.

§ 2. Quod si illegitime respondere recusaverit vel mendax reperta sit, a iudice congrua poena puniatur, praesertim si iusiurandum de veritate dicenda vel de veritate dictorum praestiterit.

Can. 173. In casibus, in quibus bonum publicum in causa est, iudex partes interrogandas hortari debet ut iusiurandum de veritate dicenda, aut saltem de veritate dictorum, praestent; in aliis casibus, potest pro sua prudentia.

Can. 174. § 1. Partes, promotor iustitiae et defensor vinculi possunt iudici exhibere articulos, super quibus pars interrogetur.

§ 2. In articulis exarandis, admittendis et parti proponendis regulae cum proportione serventur, quae in cann. 195 et 204-208 de testibus statuuntur.

Can. 175. Ad interrogationibus respondendum partes ipsae coram iudice se sistere debent, iis exceptis, de quibus in can. 202, §§ 2-3, et salvo iure particulari.

Can. 176. Assertio de aliquo facto, scripto vel ore, coram iudice competenti, ab aliqua parte circa ipsam iudicij materiam, sive sponte sive iudice interrogante, contra se peracta, est confessio iudicialis.

Can. 177. Si agatur de negotio aliquo privato et in causa non sit bonum publicum, confessio iudicialis unius partis relevat ceteras ab onere probandi.

Can. 178. § 1. Confessio iudicialis in causis quae respiciunt bonum publicum, confessio extrajudicialis, et partium declarationes quae non sint confessiones aliquam vim probandi habere possunt, a iudice aestimandam una cum ceteris causae adjunctis; item iudicis est aestimare, quid ad factorum probationem erui possit ex recusatione respondendi.

§ 2. At iudicali confessioni in causis quae respiciunt bonum publicum numquam vis plena probationis tribui potest, nisi alia accedant elementa quae eam omnino corroborent.

Can. 179. Confessio vel alia quaevis partis declaratio qualibet vi caret, si constet eam ex errore facti vel ex vi esse prolatam.

CAPUT II

DE PROBATIONE PER DOCUMENTA

Can. 180 (CIC 1812). In quolibet iudicii genere admittitur probatio per documenta tum publica tum privata.

Can. 181 (CIC 1813). § 1. Documenta publica ecclesiastica ea sunt quae persona publica, ratione sui muneris in Ecclesia confecit, servatis sollemnitatibus a iure praescriptis.

§ 2. Documenta publica civilia ea sunt quae secundum uniuscuiusque loci leges talia iure censentur.

§ 3. Cetera documenta sunt privata.

Can. 182 (CIC 1814). Nisi lex particularis aliud statuat aut contrarium evidentibus argumentis evincatur, documenta publica genuina praesumuntur, et fidem faciunt de iis, quae directe et principaliter in iis affirmantur.

Can. 183 (CIC 1815). Recognitio aut impugnatio scripturae proponi potest in iudicio tum incidenter, tum ad modum causae principalis.

Can. 184 (CIC 1817). Documentum privatum, sive agnatum a parte sive recognitum a iudice, eandem probandi vim habet adversus auctorem vel subscriptorem et causam ab iis habentes, ac confessio extra iudicium facta; adversus extraneos eandem vim habet, quam partium declarationes quae non sint confessiones, ad normam can. 178 § 1.

Can. 185 (CIC 1818). Si abrasa, correcta, interpolata aliove vitio documenta infecta demonstrentur, iudicis est aestimare an et quanti huiusmodi documenta facienda sint.

Art. 1

DE PRODUCTIONE DOCUMENTORUM ET ACTIONE AD EXHIBENDUM

Can. 186 (CIC 1819-1820). Documenta vim probandi in iudicio non habent, nisi originalia sint aut in exemplari authentico exhibita et penes tribunalis cancellariam deposita, ut a iudice et ab adversario examinari possint, exceptis documentis quae publici iuris sunt, ceu leges rite promulgatae.

Can. 187 (novus). Quae ius civile loci in territorio statuit de actione ad exhibendum, eadem in foro quoque canonico serventur. Potest autem lex particularis normas dare, quae praescripta iuris civilis ad canonici processus necessitates accommodent.

Can. 188 (CIC 1823). § 1. Nemo exhibere tenetur documenta, et si communia, quae communicari nequeunt sine periculo damni ad normam can. 190, § 2, n. 2 aut sine periculo violationis secreti servandi.

§ 2. Attamen si qua saltem documenti particula, quam produci intersit, describi possit, et in exemplari sine memoratis incommodis, iudex decernere potest ut eadem exhibeat.

CAPUT III

DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS

Can. 189 (CIC 1754). Probatio per testes in quibuslibet causis admittitur nisi aliud iure caveatur, sub iudicis moderatione.

Can. 190 (CIC 1755). § 1. Testes iudici legitime interroganti veritatem fateri debent.

§ 2. Salvo praescripto can. 192, § 2, n. 2, ab obligatione respondendi eximuntur:

1) parochi aliquique sacerdotes quod attinet ad ea quae ipsis manifestata sunt ratione sacri ministerii extra sacramentalem confessionem; civitatum magistratus, medici, obstetrices, advocati, notarii aliquique qui

ad secretum officii etiam ratione praestiti consilii tenentur, quod attinet ad negotia huic secreto obnoxia;

2) qui ex testificatione sua sibi aut coniugi aut proximis consanguineis vel affinibus infamiam, periculosas vexationes, aliave mala valde gravia obventura timent.

§ 3. Testes iudici legitime interroganti scienter falsum affirmantes aut verum occultantes puniri possunt ad normam iuris.

Art. 1

QUI TESTES ESSE POSSINT

Can. 191 (CIC 1756). Omnes possunt esse testes, nisi expresse a iure repellantur vel in totum vel ex parte.

Can. 192 (CIC 1757). § 1. Non admittantur ad testimonium ferendum impuberis et mentis debiles; audiri tamen poterunt ex decreto iudicis quo id expedire declaretur.

§ 2. Incapaces habentur:

1) qui partes sunt in causa, aut partium nomine in iudicio consistunt, iudex eiusve assistentes, advocatus aliquis qui partibus in eadem causa assistunt vel astiterunt;

2) sacerdotes, quod attinet ad ea omnia quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint; imo audit a quovis et quoquo modo occasione confessionis ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt.

Can. 193 (CIC 1758). In causis quae respiciunt bonum publicum vel statum personarum admittuntur tamquam testes etiam partium coniuges eorumque consanguinei et affines; in aliis causis admitti possunt ad praescriptum iudicis.

Art. 2

DE INDUCENDIS ET EXCLUDENDIS TESTIBUS

Can. 194 (CIC 1759). Pars, quae testem induxit, potest eius examini renunciare; sed adversarius postulare potest ut, hac non obstante renuntiatione, testis examinetur.

Can. 195 (CIC 1761). § 1. Cum probatio per testes postulatur, eorum nomina et domicilium tribunalis indicentur; praeterea exhibeantur articuli argumentorum super quibus petitur testium interrogatio.

§ 2. Si ne intra diem quidem a iudice praestitutum, obtemperatum fuerit, postulatio deserta censetur.

Can. 196 (CIC 1762). Iudici ius et obligatio est nimiam multitudinem testium refrenandi.

Can. 197 (CIC 1763). Partes debent sibi invicem nota facere testium nomina antequam eorum examen inchoetur, aut, si id, prudenti iudicis existimatione, fieri sine gravi difficultate nequeat, saltem ante testimoniorum publicationem.

Can. 198 (CIC 1764). § 1. Praeter testes de quibus in can. 192, alii quoque excludi possunt, parte postulante, si iusta exclusionis causa demonstretur.

§ 2. Discussio autem de teste excludendo, si forte sit facienda, fiat ante conclusionem in causa, nisi lex particularis aliud caveat.

Can. 199 (CIC 1765). Citatio testis fit decreto iudicis eaque testibus intimatur ad normam can. 145-150, salvo tamen iure particulari.

Can. 200 (CIC 1766). § 1. Testis rite citatus pareat aut causam suae absentiae iudici notam faciat.

§ 2. Si testis sine legitima causa non comparet, aut, etsi compa- ruerit, renuerit respondere, iudex rem deferat Episcopo.

Art. 3 DE IUREIURANDO TESTIUM

Can. 201 (CIC 1767). § 1. Iudex testi in mentem revocet gravem obligationem dicendi totam et solam veritatem.

§ 2. Iudex testi deferat iuramentum ante excussionem: si testis renuat illud emittere, iniuratus audiatur.

Art. 4
DE TESTIUM EXAMINE

Can. 202 (CIC 1770). § 1. Testes sunt examini subiiciendi in ipsa tribunalis sede, nisi aliud iudici videatur.

§ 2. S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Episcopi et ii, qui, suae civitatis iure, simili favore gaudent, audiantur in loco ab ipsis selecto.

§ 3. Iudex decernat ubi audiendi sint ii, quibus propter distantiam, morbum aliudve impedimentum impossibile vel difficile sit tribunalis sedem adire, servato etiam, si casus ferat, praescripto can. 17.

Can. 203 (CIC 1771). Examini testium partes assistere nequeunt, nisi iudex, praesertim cum res est de bono privato, eas admittendas censuerit. Assistere tamen possunt earum advocati vel procuratores, nisi iudex propter rerum et personarum adjuncta censuerit secreto esse procedendum.

Can. 204 (CIC 1772). § 1. Testes seorsim singuli examinandi sunt.

§ 2. Si testes inter se aut cum parte in re gravi dissentiant, iudex discrepantes inter se conferre seu comparare potest, remotis, quantum possibile erit, dissidiis et scandalo.

Can. 205 (CIC 1773). Nisi aliter caveat lex particularis, examen testis fit a iudice, vel ab eius delegato aut auditore, cui assistat oportet notarius. Quapropter partes, vel promotor iustitiae, vel defensor vinculi, vel advocati qui examini intersint si alias interrogations testi faciendas habeant, has non testi, sed iudici vel eius locum tenenti proponant, ut eas ipse deferat.

Can. 206 (CIC 1774). Testis primo interrogari debet non modo de generalibus personae adjunctis, de nomine, cognomine, origine, aetate, religione, domicilio, sed etiam quae ipsi cum partibus in causa sit necessitudo; deinde deferendae sunt interrogations quae causam ipsam respiciunt et sciscitandum unde et quomodo ac praesertim quo definito tempore, ea quae asserit cognita habeat.

Can. 207 (CIC 1775). Interrogationes breves sunt, interrogandi intelligentiae accommodatae, vulgari sermone expressae, non plura simul

complectentes, non captiosae, non subdolae, non suggestentes responsio-
nem, remotae a cuiusvis offensione et pertinentes ad causam quae agitur.

Can. 208 (CIC 1776). § 1. Interrogationes non sunt cum testi-
bus antea communicandae.

§ 2. Attamen si ea quae testificanda sunt ita a memoria sint remota,
ut nisi prius recolantur, certo affirmari nequeant, poterit iudex nonnulla
testem praemonere, si id sine periculo fieri censeat.

Can. 209 (CIC 1777). Testes ore testimonium dicant, et scrip-
tum ne legant, nisi de calculo et rationibus agatur; tunc enim adnota-
tiones, quas secum attulerunt, poterunt consulere.

Can. 210 (CIC 1778). Responsio statim redigenda est scripto ab
actuario, et referre debet ipsa editi testimonii verba, saltem quod attinet
ad ea quae iudicii materiam directe attingunt.

Can. 211 (CIC 1779). Actuarius in actis mentionem faciat de
praestito, remisso aut recusato iureiurando, de partium aliorumque praes-
entia, de interrogationibus ex officio additis et generatim de omnibus
memoria dignis quae forte acciderint, cum testes excutiebantur.

Can. 212 (CIC 1780). § 1. In fine examinis testi legi debent
quae actuarius de iis quae ipse viva voce testatus est, scripto redegit,
data eidem testi facultate addendi, suppressendi, corrigendi, variandi.

§ 2. Denique actui subscribere debent testis, iudex et notarius.

Can. 213 (CIC 1781). Testes, quamvis iam excussi, poterunt,
parte postulante aut ex officio, antequam acta seu testificationes publici
iuris fiant, denuo ad examen vocari, si iudex id necessarium vel utile
ducat, dummodo tamen omnis collusionis vel corruptelae absit periculum.

Art. 5

DE TESTIMONIORUM EVULGATIONE EORUMQUE REPROBATIONE

Can. 214 (CIC 1782). § 1. Si partes aut earum advocati vel pro-
curatores examini non interfuerint, testimonia poterunt evulgari statim
post absolutum omnium testium examen, vel quando alia quoque pro-
bationum genera absoluta fuerint.

§ 2. Praesentia partium vel earum advocatorum examini testis aequivalet evulgationi.

Can. 215 (CIC 1783). Post testificationum evulgationem:

1) cessat facultas excludendi testis personam, nisi a parte demonstretur defectum testis antea sibi notum non fuisse;

2) sed est ius excludendi testes sive quod attinet ad modum examinis, cum obiiciuntur regulae iuris in examine peragendo neglectae, sive quod attinet ad testimonia ipsa, cum haec arguuntur de falso aut de variatione, contradictione, obscuritate, defectu scientiae et similibus.

Can. 216 (CIC 1784-1785). Exclusionem iudex decreto expeditissime aut admittat, aut, si futili innitatur fundamento vel ad retardandum iudicium facta sit, reiciat.

Can. 217 (CIC 1786). § 1. Evulgatis ad normam can. 214 testimoniis iudex potest adhuc eosdem testes vel alios vocare vel alias probations, quae antea non fuerint petitae, disponere tantummodo:

1) in causis, in quibus agitur de solo privato partium bono, si omnes partes consentiant;

2) in ceteris causis, auditis partibus et dummodo gravis(sima) extet ratio et quodlibet fraudis vel subornationis periculum removeatur;

3) in omnibus causis, quoties veri simile est, ne, nisi probatio nova admittatur, sententia iniusta futura sit propter rationes, de quibus in can. 299, § 2, nn. 1, 2, 3.

§ 2. Potest autem iudex iubere vel admittere ut exhibeat documentum, quod forte antea sine culpa eius cuius interest, exhiberi non potuit.

Art. 6

DE INDEMNITATE TESTIUM

Can. 218 (CIC 1787-1788). § 1. Testis ius habet ad petendam compensationem impensarum, quas sustinuerit ratione itineris et commorationis in loco iudicii, et ad congruam indemnitatem pro interrupzione sui negotii vel operis.

§ 2. Iudicis erit, audita parte et teste, et servata lege particulari vel, si haec desit, attentis normis in foro civili vigentibus, taxare indemnitatem et expensas testi solvendas.

Art. 7
DE TESTIMONIORUM FIDE

Can. 219 (CIC 1789). In aestimandis testimentiis iudex, attentis principiis psychologiae iudicariae et requisitis, si opus sit, testimonialiibus litteris, ante oculos habeat:

- 1) quae condicio sit personae, quaeve honestas;
- 2) utrum de scientia propria, praesertim de visu et auditu proprio testificetur, an de sua opinione, de fama, aut de auditu ab aliis;
- 3) utrum testis constans sit et firmiter sibi cohaereat; an varius, incertus vel vacillans;
- 4) utrum testimonii contestes habeat, aliisve probationis elementis confirmetur necne.

Can. 220 (CIC 1790). Si testes inter se discrepent, iudex perpendat utrum testimonia inter se adversentur, an sint dumtaxat diversa vel mutuo adiuentur et compleantur.

Can. 221 (CIC 1791). Unius testis depositio plenam fidem non facit, nisi aliud iure caveatur aut agatur de teste qualificato qui deponat de rebus ex officio gestis, aut rerum et personarum adiuncta aliud suadeant.

CAPUT IV
DE PERITIS

Can. 222 (CIC 1792). Peritorum opera utendum est quoties ex iuris vel iudicis praescripto eorum examen et votum, praecepsis artis vel scientiae innixum, requiritur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam.

Can. 223 (CIC 1793). § 1. Iudicis est peritos designare vel approbare.

§ 2. Designatio peritorum fit a iudice, auditis vel proponentibus partibus.

§ 3. Prudenti iudicis arbitrio relinquitur unum pluresve peritos eligere pro causae natura et rei difficultate, nisi lex ipsa numerum peritorum praefiniat.

Can. 224 (CIC 1795). § 1. Ad periti munus, ceteris paribus, deligantur qui competenti auctoritate idonei fuerint comprobati.

§ 2. Qui a testimonio ferendo excluduntur ad normam can. 192, ne ad peritorum quidem officium assumi possunt.

Can. 225 (CIC 1796). § 1. Easdem ob causas quibus testes, possunt et periti recusari.

§ 2. Iudex suo decreto edicat utrum sit admittenda recusatio, necne, et, recusatione admissa, in locum periti recusati alium sufficiat.

Can. 226 (CIC 1797). § 1. Periti demandatum munus suspere censemur praestatione iurisiurandi vel formali declaratione de munere fideliter implendo.

§ 2. Partes non solum interesse possunt iurisiurandi praestationi vel declarationi periti, sed etiam exsecutioni muneris perito demandati, nisi aliud rei natura vel honestas exigat aut lex vel iudex statuat.

Can. 227 (CIC 1799-1800). § 1. Iudex, attentis iis quae a litigantibus forte deducantur, omnia et singula capita decreto suo definiat circa quae periti opera versari debeat.

§ 2. Perito remittenda sunt acta causae aliaque documenta et subsidia quibus egere potest ad suum munus rite et fideliter exsequendum.

§ 3. Iudex, ipso perito auditio, tempus praefinitiat intra quod examen perficiendum est et relatio proferenda.

Can. 228 (CIC 1798). Post acceptationem muneris, si periti intra praefinitum tempus mandato non paruerint aut sine iusta causa exsecutionem defugiant, tenentur damnorum.

Can. 229 (CIC 1801). § 1. Peritus, praesertim si relationem suam in scriptis protulerit, accersiri potest a iudice ut explicationes, quae ulterius necessariae videantur, suppeditet.

§ 2. Periti debent indicare perspicue quibus documentis vel aliis idoneis modis certiores facti sint de personarum vel rerum vel locorum identitate, et qua via et ratione processerint in explendo munere sibi demandato et quibus potissimum argumentis conclusiones ab ipsis prolatae nitantur.

Can. 230 (CIC 1802). Periti suam quisque relationem a ceteris distinctam confiant, nisi, lege non contradicente, iudex unam a sin-

gulis subscribendam fieri iubeat; quod si fiat, sententiarum discrimina, si qua fuerint, diligenter adnotentur.

Can. 231 (CIC 1803). § 1. Si periti inter se discrepent, licet iudici aut peritioris suffragium super relatis a primis peritis exquirere aut novos de integro peritos adhibere, aut novam peritiam a prioribus peritis communi consilio conficiendam decernere.

§ 2. Quoties periti post designationem in suspicionem inciderint, vel impares atque non idonei muneri perspecti fuerint, eadem norma servanda est a iudice.

Can. 232 (CIC 1804). § 1. Iudex non peritorum tantum conclusiones, etsi concordes, sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendat.

§ 2. Cum reddit rationes decidendi, exprimere debet quibus motus argumentis peritorum conclusiones aut admiserit aut reiecerit.

Can. 233 (CIC 1805). Peritorum expensas et honoraria iudex ex bono et aequo taxare debet, servata lege particulari vel, si haec desit, recepta loci consuetudine prae oculis habita.

CAPUT V DE ACCESSU ET DE RECOGNITIONE IUDICIALI

Can. 234 (CIC 1806). Si ad controversiae locum iudex accedere atque ipsam rem controversam inspicere necessarium existimet, decreto id praestituat, quo ea quae in accessu praestanda sint, auditis partibus, summatim describat.

Can. 235 (CIC 1809). Si iurgii vel perturbationis periculum pertimescendum iudici videatur, poterit ipse prohibere ne partes vel earum advocati iudicali recognitioni intersint.

Can. 236 (CIC 1810). Iudex testes, vel ex officio accitos vel a partibus ante recognitionem rite productos, potest in ipso iudicali accessu examini subiictere, si id expedire videatur ad pleniores probationem aut ad removenda dubia ob quae recognitio decerni debuit. Potest autem iudex etiam peritos adhibere.

Can. 237 (CIC 1811). § 1. Notarius diligenter curet ut constet ex actis qua die et hora recognitio facta sit, quae personae interfuerint, quae, recognitione durante, aut dicta aut peracta aut a iudice decreta sint.

§ 2. Peractae recognitionis instrumenta tum iudex tum notarius subscrivant.

Can. 238 (novus). Potest autem lex particularis normas huius capituli completere, attentis etiam praescriptis iuris civilis.

CAPUT VI DE PRAESUMPTIONIBUS

Can. 239 (CIC 1825). § 1. Praesumptio est rei incertae probabilis coniectura; eaque alia est iuris, quae ab ipsa lege statuitur; alia hominis, quae a iudice coniicitur.

§ 2. Praesumptio iuris alia est iuris simpliciter, alia iuris et de iure.

Can. 240 (CIC 1826). Contra praesumptionem iuris simpliciter admittitur probatio tum directa tum indirecta; contra praesumptionem iuris et de iure, tantum indirecta, hoc est contra factum quod est praesumptionis fundamentum.

Can. 241 (CIC 1827). Qui habet pro se iuris praesumptionem, liberatur ab onere probandi, quod recidit in partem adversam.

Can. 242 (CIC 1828). Praesumptiones, quae non statuuntur a iure, iudex ne coniiciat, nisi ex facto certo et determinato, quod cum eo, de quo controversia est, directe cohaereat.

TITULUS V
DE CAUSIS INCIDENTIBUS

Can. 243 (CIC 1837). Causa incidens habetur, quoties, incepto saltem per citationem iudicio, ab una ex partibus aut a promotore iustitiae vel vinculi defensore, si iudicio intersint, quaestio proponitur quae, tametsi libello, quo lis introducitur, non contineatur expresse, nihilominus ita ad causam pertinet ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem.

Can. 244 (CIC 1838). Causa incidens proponitur scripto vel ore, indicato nexu qui intercedit inter ipsam et causam principalem, coram iudice competenti ad causam principalem definiendam.

Can. 245 (CIC 1839). § 1. Iudex, recepta petitione et auditis partibus, expeditissime decernat utrum proposita incidens quaestio fundamentum habere videatur et nexus cum principali iudicio, an vero sit in limine reicienda; et, si eam admittat, utrum talis sit gravitatis, ut debeat solvi per sententiam interlocutoriam an per decretum.

§ 2. Si vero iudicet quaestionem incidentem non esse resolvendam ante sententiam definitivam, decernat ut de ea ratio habeatur die definitionis causae principalis.

Can. 246 (CIC 1840). § 1. Si quaestio incidens solvi debeat per sententiam, serventur normae de processu summario.

§ 2. Si vero solvi debeat per decretum, tribunal potest rem committere auditori vel praesidi.

Can. 247 (CIC 1841). Antequam finiatur causa principalis iudex vel tribunal potest decretum vel sententiam interlocutoriam, iusta intercedente ratione, revocare aut reformare, sive ad partis instantiam, sive ex officio, auditis partibus et tributa iisdem facultate proprias allegationes exhibendi.

Art. 1
DE PARTIBUS NON COMPARTMENTIBUS

Can. 248 (CIC 1842-1843-1844). §. 1. Si pars conventa citata non comparuerit nec idoneam absentiae excusationem attulerit, iudex eam a iudicio absentem declareret et decernat ut causa, servatis servandis, usque ad sententiam definitivam eiusque exsecutionem procedat.

§ 2. Antequam decretum, de quo in § 1, feratur, debet, etiam per novam citationem si opus fuerit, constare citationem, legitime factam, ad partem conventam tempore utili pervenisse.

Can. 249 (CIC 1846-1847). § 1. Si pars conventa dein in iudicio se sistat ante causae definitionem, conclusiones probationesque, si quas afferat, admittantur; caveat autem iudex ne de industria in longiores et non necessarias moras iudicium protrahatur.

§ 2. Etsi non comparuerit ante causae definitionem, impugnationibus uti potest adversus sententiam; quod si probet se legitimo impedimento fuisse detentam, quod sine sua culpa antea demonstrare non potuerit, querela nullitatis sanabilis uti potest..

Can. 250 (CIC 1849-1850). Si die et hora ad litis contestationem praestitutis actor neque comparuerit neque idoneam excusationem attulerit:

- 1) iudex eum citet iterum;
- 2) si actor novae citationi non paruerit, praesumitur instantiae renuntiasse ad normam cann. 165-166;
- 3) quodsi postea in processum intervenire velit, servetur can. 249.

Can. 251 (CIC 1851). § 1. Pars absens a iudicio, sive actor sive conventus, qui iustum impedimentum non comprobaverit, tenetur obligatione tum solvendi litis expensas, quae ob suam absentiam factae sunt, tum etiam, si opus sit, indemnitatem alteri parti praestandi.

§ 2. Si tum actor tum reus fuerint absentes a iudicio, ipsi obligatione expensas litis solvendi tenentur in solidum.

Art. 2

DE INTERVENTU TERTII IN CAUSA

Can. 252 (CIC 1852). § 1. Is cuius interest admitti potest ad interveniendum in causa, in qualibet litis instantia, sive ut pars quae proprium ius defendit, sive accessorie ad aliquem litigantem adiuvandum.

§ 2. Sed ut admittatur, debet ante conclusionem in causa libellum judici exhibere, in quo breviter suum ius interveniendi demonstret.

§ 3. Qui intervenit in causa, admittendus est in eo statu in quo causa reperitur, assignato eidem brevi ac peremptorio termino ad probationes suas exhibendas, si causa ad periodum probatoriam pervenerit.

Can. 253 (CIC 1853). Si tertii interventus videatur necessarius, iudex auditis partibus debet tertium in iudicium vocare.

Art. 3

DE ATTENTATIS LITE PENDENTE

Can. 254 (CIC 1854). Attentatum est actus quo, pendente lite, ab una parte adversus alteram vel a iudice adversus alterutram vel utramque aliquid innovatur in praeiudicium partis, eaque dissentiente, sive quoad materiam litis, sive quoad iura processualia, salvis praescriptis cann. 53, 107, 108.

Can. 255 (CIC 1855). Attentata sunt ipso iure nulla.

Can. 256 (CIC 1857). Demonstrato attentato, iudex decernere debet eius revocationem seu purgationem.

TITULUS VI
DE PROCESSUS PUBLICATIONE
DE CONCLUSIONE IN CAUSA ET DE CAUSAE DISCUSSIONE

Can. 257 (CIC 1858-1859). § 1. Ante causae discussionem omnes probationes quae sunt in actis et secretae permanerunt, sunt, sub pena nullitatis, publicandae.

§ 2. Publicatio processus fit concessa partibus earumque advocatis licentia acta iudicialia inspiciendi petendique eorum exemplar.

Can. 258 (CIC 1860). § 1. Expletis omnibus quae ad probationes producendas pertinent, ad conclusionem in causa devenitur.

§ 2. Haec conclusio habetur quoties aut partes a iudice interrogatae declarent se nihil aliud deducendum habere, aut utile proponendis probationibus tempus a iudice praestitutum elapsum sit, aut iudex declaret se satis instructam causam habere.

§ 3. De peracta conclusione in causa, quocumque modo ea acciderit, iudex decretum ferat.

Can. 259 (CIC 1861). § 1. Post conclusionem in causa novae probationes inhibentur, nisi servatis praescriptis can. 217.

§ 2. Si novas probationes admittendas censeat, id decernat iudex, audita altera parte, cui congruum tempus concedat ut novas probationes cognoscere et se defendere possit.

Can. 260 (CIC 1862). § 1. Facta conclusione in causa, iudex partibus congruum temporis spatium praestituat ad defensiones suas vel animadversiones exhibendas.

§ 2. Hic terminus prorogari a iudice potest, instante una parte, aliis auditis; vel etiam coartari, consentientibus tamen omnibus.

Can. 261 (CIC 1863-1864). § 1. Defensiones et animadversiones scriptae sint, nisi disputationem pro tribunali sedente iudex, consentientibus partibus, satis esse censeat.

§ 2. Si defensiones cum praecipuis documentis typis imprimantur, prævia iudicis licentia requiritur, salva secreti obligatione, si qua sit.

§ 3. Quoad extensionem defensionum, numerum exemplarium, aliaque huiusmodi adiuncta, servetur ordinatio tribunalis.

Can. 262 (CIC 1865). § 1. Communicatis vicissim defensionibus atque animadversionibus, utriusque parti responsiones exhibere licet, intra breve tempus a iudice præstitutum, et servatis regulis et cautelis de quibus in cann. 260, § 2 et 261.

§ 2. Hoc ius partibus semel tantum esto, nisi iudici gravi ex causa iterum videatur concedendum; tunc autem concessio, uni parti facta, alteri quoque data censetur.

§ 3. Promotor iustitiae et defensor vinculi ius habent iterum replicandi partium responsionibus.

Can. 263 (CIC 1866). § 1. Caveant partes et advocati ne ad aures iudicis notitias præbeant quae extra acta causæ maneant, inscia altera parte.

§ 2. Si causæ discussio scripto facta sit, iudex potest admittere ut moderata disputatio fiat ore pro tribunali sedente, ad quaestiones nonnullas illustrandas.

§ 3. Discussioni assistat unus ex notariis tribunalis ad hoc ut, si iudex præcipiat aut pars postulet et iudex consentiat, possit de disceptatis, confessis aut conclusis, scripto ex continenti referre.

Can. 264 (CIC 1867). Si partes parate sibi tempore utili defensionem negligant, aut se remittant iudicis scientiae et conscientiae, iudex, si ex actis et probatis rem habeat plane perspectam, poterit statim sententiam pronuntiare, requisitis tamen animadversionibus promotoris iustitiae et defensoris vinculi, si iudicio intersint.

TITULUS VII

DE IUDICIS PRONUNTIATIONIBUS

Can. 265 (CIC 1868). Causa iudiciali modo pertractata, si sit principalis, definitur a iudice per sententiam definitivam; si sit incidens, per sententiam interlocutoriam.

Can. 266 (CIC 1869). § 1. Ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae requiritur in iudicis animo moralis certitudo circa rem sententia definiendam.

§ 2. Hanc certitudinem iudex haurire debet ex actis et probatis.

§ 3. Probationes autem aestimare iudex debet ex sua conscientia, nisi lex aliquid expresse statuat de efficacia alicuius probationis.

§ 4. Iudex qui eam certitudinem adipisci non potuit, pronuntiet non constare de iure actoris et conventum absolutum dimittat, nisi agatur de causa iuris favore fruente, quo in casu pro ipsa pronuntiandum est, et salvo praescripto can. 131, § 2.

Can. 267 (CIC 1871). § 1. In tribunali collegiali, qua die et hora iudices ad deliberandum convenient, collegii praeses constituat; et nisi peculiaris causa aliud suadeat, in ipsa tribunalis sede conventus habeatur.

§ 2. Assignata conventui die, singuli iudices scriptas afferent conclusiones suas in merito causae, et rationes tam in facto quam in iure, quibus ad conclusionem suam venerint: quae conclusiones actis causae adiungantur, secreto servandae.

§ 3. Postquam divinum Nomen invocatum sit, prolatis ex ordine, secundum praecedentiam, ita tamen ut semper a causae ponente seu relatore initium fiat, singulorum conclusionibus, habeatur moderata discussio sub tribunalis praesidis ductu, praesertim ut constabiliatur quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae.

§ 4. In discussione autem fas unicuique est a pristina sua conclusione recedere.

§ 5. Quod si iudices in prima discussione ad hanc sententiam devire aut nolint aut nequeant, differri poterit decisio ad novum conventum; qui tamen ultra hebdomadam comperendinari non debet, nisi ad normam can. 259 complenda sit causae instructio.

Can. 268 (CIC 1872). § 1. Si iudex sit unicus, ipse sententiam exarabit.

§ 2. In tribunali collegiali ponentis seu relatoris est exarare sententiam ad normam can. 28, desumendo motiva ex iis quae singuli iudices in discussione attulerunt, nisi a maiore numero iudicium praefinita fuerint motiva preferenda; sententia dein singulorum iudicium subiicienda est approbationi.

§ 3. Sententia edenda est non ultra mensem a die qua causa definita est, nisi, in tribunali collegiali, iudices gravi ex ratione longius tempus praestituerint.

Can. 269 (CIC 1873). Sententia debet:

- 1) definire controversiam coram tribunali agitatam, data singulis dubiis congrua responsione;
- 2) determinare quae sint partium obligationes ex iudicio ortae et quomodo implenda sint;
- 3) continere rationes seu motiva quae dicuntur, tam in iure quam in facto, quibus dispositiva sententiae pars innititur;
- 4) statuere de litis expensis.

Can. 270 (CIC 1874). § 1. Sententia, post divini Nominis invocationem, exprimat oportet ex ordine qui sit iudex aut tribunal; qui sit actor, pars conventa, procurator, nominibus et domicilio rite designatis, promotor iustitiae, defensor vinculi, si partem in iudicio habuerint.

§ 2. Referre postea debet breviter facti speciem cum partium conclusionibus.

§ 3. Hisce subsequatur pars dispositiva sententiae, praemissis rationibus quibus innititur.

§ 4. Claudatur cum indicatione diei et loci in quibus exarat est et cum subscriptione iudicis vel omnium iudicium, si plures fuerint, et notarii.

Can. 271 (CIC 1875). Regulae superius positae pro sententia definitiva sententiae quoque interlocutoriae aptandae sunt.

Can. 272 (CIC 1876). Sententia quamprimum publicetur; neque ante publicationem vim ullam habet, etiamsi dispositiva pars, iudice permittente, partibus significata sit.

Can. 273 (CIC 1877). Publicatio seu intimatio sententiae fieri potest vel tradendo exemplar sententiae partibus aut earum procuratoribus; vel eisdem transmittendo idem exemplar modis recensitis in can. 148.

Can. 274 (CIC 1878). § 1. Si in sententiae textu vel error irreperitur in calculis vel error materialis acciderit in dispositiva parte transcribenda aut in factis vel partium petitionibus referendis vel omissa sint quae can. 270 § 4 requirit, sententia ab ipso tribunali, quod eam tulit, corrigi vel compleri debet sive ad partis instantiam sive ex officio, semper tamen auditis partibus et decreto ad calcem sententiae apposito.

§ 2. Si qua pars refragetur, quaestio incidens decreto definiatur.

Can. 275 (novus). Ceterae iudicis pronuntiationes, praeter sententiam, sunt decreta; eaque vim non habent, nisi saltem summarie motiva exprimant, vel ad motiva in alio actu expressa remittant.

TITULUS VIII
DE IMPUGNATIONE SENTENTIAE

Art. 1
DE QUERELA NULLITATIS CONTRA SENTENTIAM

Can. 276 (novus). Nullitates actorum, positivo iure statutae, quae, cum essent notae, non sint ante sententiam iudici denuntiatae, censentur ab ipsa sententia sanatae.

Can. 277 (CIC 1892). Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, si:

- 1) lata est ab eo, qui careat potestate iudicandi in tribunali in quo causa tractata est;
- 2) iudicium factum est sine judiciali petitione, de qua in can. 137, vel non fuit adversus aliquem conventum;
- 3) iudex vi vel metu gravi et iniusto coactus sententiam tulit;
- 4) controversiam ne ex parte quidem definivit.

Can. 278 (CIC 1893). Nullitas de qua in can. 277 semper proponi potest ad modum actionis coram iudice qui sententiam tulit vel ad modum exceptionis.

Can. 279 (CIC 1894). Sententia vitio sanabilis nullitatis dumtaxat laborat, quando:

- 1) lata est a iudice absolute incompetenti vel a non legitimo iudicium numero contra praescriptum can. 24, § 1.
- 2) lata est inter partes quarum altera saltem non habet personam standi in iudicio;
- 3) quando quis nomine alterius egit sine legitimo mandato;
- 4) si motiva seu rationes decidendi non contineat;

- 5) si subscriptionibus careat iure praescriptis;
- 6) si actui iudicali, qui sit nullus, innitatur, cuius nullitas non sit ad normam can. 276 sanata.
- 7) in casu legitimi impedimenti de quo in can. 249, § 2.

Can. 280 (CIC 1895). Querela nullitatis in casibus de quibus in can. 279 proponi potest intra tres menses a notitia publicationis sententiae, nisi lex particularis aliud statuat.

Can. 281 (CIC 1896). De querela nullitatis videt ipse iudex qui sententiam tulit; quod si pars vereatur ne iudex qui sententiam, querela nullitatis impugnatam, tulit, praecipuum animum habeat ideoque eum suspectum existimet, exigere potest ut alius iudex, sed in eadem iudicij sede, seu in eodem iurisdictionis gradu in eius locum subrogetur ad normam can. 51.

Can. 282 (CIC 1895). Querela nullitatis proponi potest una cum appellatione, intra terminum ad appellationem statutum.

Can. 283 (CIC 1897). § 1.. Querelam nullitatis interponere possunt nedium partes, quae se gravatas putant, sed etiam promotor iustitiae aut defensor vinculi, quoties ipsis ius est interveniendi.

§ 2. Ipse iudex potest ex officio sententiam nullam a se latam retractare vel emendare intra terminum ad agendum canone 280 statutum, nisi interea appellatio una cum querela nullitatis iuxta can. 282 interposita fuerit, aut nullitas sanata sit per decursum termini de quo in can. 280.

Can. 284 (novus). Causae de querela nullitatis secundum normas de processu summario tractari possunt.

Art. 2

DE APPELLATIONE

Can. 285 (CIC 1879). Pars quae aliqua sententia se gravatam putat, itemque promotor iustitiae et defensor vinculi in causis in quibus eorum praesentia requiritur, ius habent a sententia appellandi ad iudicem superiorem, salvo praescripto can. 286.

Can. 286 (CIC 1880). § 1. Non est locus appellationi:

- 1) a sententia ipsius Summi Pontificis vel Signaturae Apostolicae vel a sententia S. Romanae Rotae lata videntibus omnibus;
- 2) a sententia vitio nullitatis infecta nisi cumuletur cum querela nullitatis ad normam can. 282;
- 3) a sententia quae in rem iudicatam transiit;
- 4) a iudicis decreto vel a sententia interlocutoria, quae non habent vim sententiae definitivae, nisi cumuletur cum appellatione a sententia definitiva;
- 5) a sententia in causa de qua ius cavet expeditissime rem esse definiendam;
- 6) a sententia iudicis unici in causis patrimonialibus de rebus quarum pretium non excedit summam a iure particulari praefinitam.
- 7) si quis, post sententiam publicatam seu intimatam, in scriptis expresse professus est se appellationi renuntiare.

§ 2. Sententia interlocutoria vel decretum vim sententiae definitivae habent, si iudicio ipsi vel alicui iudicii gradui finem ponunt, quod attinet ad aliquas saltem partes in causa.

Can. 287 (CIC 1881-1882). § 1. Appellatio interponi debet coram iudice a quo sententia prolata sit, intra peremptorium terminum quindecim dierum utilium a notitia publicationis sententiae.

§ 2. Si ore fiat, notarius eam scripto coram ipso appellante redigat.

Can. 288 (novus). Si quaestio oriatur de iure appellandi, de ea videat tribunal appellationis.

Can. 289 (novus). § 1. Si plura sint tribunalia appellationis competentia, neque in ipsa appellatione indicetur ad quod tribunal ipsa dirigatur, iudex appellantem invitet ad designationem intra decem dies faciendam; quibus inutiliter transactis appellatio deficit.

§ 2. Si alia pars ad aliud tribunal appellationis provocaverit, de omnibus appellationibus illud videt, quod superioris est gradus.

Can. 290 (CIC 1884). Receptam appellationem iudex intra decem dies ad tribunal appellationis una cum sententia transmittat; et quamprimum cetera transmittat, quae ad normam can. 80 transmittere debet.

Can. 291 (CIC 1885). § 1. Si, appellatione nondum interposita, intra terminum ad appellandum utilem pars moriatur, aut statum mutet, aut cesset ab officio cuius ratione agit, sententia debet iis quorum interest denuntiari; iis concessi intelliguntur termini a iure statuti ad appellandum, a die receptae denuntiationis computandi.

§ 2. Si casus, de quibus in § 1, evenerint postquam appellatum sit, appellatio interposita iisdem denuntietur, et servetur praescriptum can. 159, n. 1.

Can. 292. § 1. Appellans potest appellationi renuntiare cum effectibus, de quibus in cann. 165-166.

§ 2. Si appellatio proposita sit a vinculi defensore vel a promotore iustitiae, renuntiatio fieri potest, nisi lex aliter caveat, a vinculi defensore vel promotore iustitiae tribunalis appellationis.

Can. 293 (CIC 1887-1888). § 1. Appellatio facta ab actore prodest etiam convento, et vicissim.

§ 2. Si plures sunt conventi vel actores et ab uno vel contra unum tantum ex ipsis sententia impugnetur, impugnatio censemur ab omnibus et contra omnes facta, quoties res petita sit individua aut obligatio solidalis, nisi tamen appellatio facta sit propter rationes quae ad aliquas tantum partes attineant.

§ 3. Si interponatur ab una parte super aliquo sententiae capite, pars adversa, etsi fatalia appellationis fuerint transacta, potest super aliis capitibus incidenter appellare intra terminum peremptorium quindecim dierum a die quo ipsi appellatio principalis notificata est; idque facere potest etiam sub condicione recedendi, si prior pars ab instantia recesserit.

§ 4. Nisi aliud constet, appellatio praesumitur facta contra omnia sententiae capita.

Can. 294 (CIC 1889). Appellatio exsecutionem sententiae suspendit.

Can. 295 (CIC 1891). § 1. In gradu appellationis non potest admitti nova petendi causa, ne per modum quidem utilis cumulationis; ideoque litis contestatio in eo tantum versari potest ut prior sententia vel confirmetur, vel reformetur sive ex toto sive ex parte.

§ 2. Novae autem probationes admittuntur tantum ad normam cann. 217 et 355.

Can. 296 (novus). In gradu appellationis eodem modo, quo in prima instantia, congrua congruis referendo, procedendum est; sed, nisi forte complendae sint probationes, statim post litem ad normam can. 295, § 1 contestatam ad causae discussionem deveniatur et ad sententiam.

TITULUS IX
DE RE IUDICATA
ET DE IMPUGNATIONIBUS CONTRA IPSAM

Art. 1
DE RE IUDICATA

Can. 297 (CIC 1902). Res iudicata habetur:

- 1) si duplex intercesserit inter easdem partes sententia conformis de eodem petito et ex eadem causa petendi, firmo praescripto can. 307;
- 2) si appellatio adversus sententiam non fuerit intra tempus utile proposita;
- 3) si, in gradu appellationis, instantia renuntiata sit ad normam can. 165 vel perempta ad normam can. 161;
- 4) si lata sit sententia definitiva, a qua non datur appellatio ad normam can. 286.

Can. 298 (CIC 1904). § 1. Res iudicata firmitate iuris gaudet nec impugnari potest directe nisi ad normam can. 299, § 1.

§ 2. Facit ius inter partes et dat actionem iudicati atque exceptionem rei iudicatae, quam iudex ex officio quoque declarare potest ad impediendam novam eiusdem causae introductionem.

Art. 2
DE IMPUGNATIONIBUS ADVERSUS REM IUDICATAM

Can. 299 (CIC 1905). § 1. Adversus sententiam quae transierit in rem iudicatam, dummodo de eius iniustitia manifesto constet, datur restitutio in integrum.

§ 2. De iniustitia autem manifesto constare non censemur, nisi:

- 1) sententia ita probationibus innitatur, quae postea falsae deprehensae sint, ut sine illis probationibus pars sententiae dispositiva non sustineatur;
- 2) postea detecta fuerint documenta, quae facta nova et contraria decisionem exigentia indubitanter probent;
- 3) sententia ex dolo partis prolata fuerit in damnum alterius;
- 4) legis substantialis praescriptum evidenter neglectum fuerit;
- 5) sententia aduersetur praecedenti decisioni quae in rem iudicatam transierit.

Can. 300 (CIC 1906). § 1. Restitutio in integrum propter motiva, de quibus in can. 299, § 2, nn. 1, 2, 3 petenda est a iudice qui sententiam tulit, intra tres menses, a die cognitae falsitatis vel doli computandos.

§ 2. Restitutio in integrum propter motiva, de quibus in can. 299, § 2, nn. 4 et 5 petenda est a tribunali appellationis, intra tres menses a notitia publicationis sententiae, servatis de cetero quae de appellatione statuunt cann. 287-290; quod si in casu de quo in can. 299, § 2, n. 5, notitia praecedentis decisionis serius habeatur, terminus ab hac notitia decurrit.

§ 3. Si is, qui ius habet petendi restitutionem in integrum, nondum vicesimum secundum aetatis annum expleverit, cum termini, de quibus in §§ 1 et 2, elabuntur, termini ipsi ad vicesimum secundum aetatis eius annum expletum prorogantur.

Can. 301 (novus). Restitutio in integrum ne concedatur nisi auditis partibus.

Can. 302 (CIC 1907). § 1. Petitio restitutionis in integrum sententiae exsecutionem nondum inceptam suspendit.

§ 2. Si tamen suspicio sit ex probabilibus indiciis petitionem factam esse ad moras exsecutioni nectendas, iudex decernere potest ut sententia exsecutioni demandetur, assignata tamen restitutionem petenti idonea cautione ut, si restituatur in integrum, indemnisi fiat.

Art. 3
DE OPPOSITIONE TERTII

Can. 303 (CIC 1898). Qui ex sententia definitiva inter alios lata, quae ad normam can. 310 exsecutioni mandari possit, suorum iurium laesionem verentur, sententiam ipsam ante eius exsecutionem impugnare possunt.

Can. 304 (CIC 1899 et 1900). § 1. Oppositio fieri potest vel postulando revisionem sententiae a tribunalii quod eam tulit, vel provocando ad tribunal appellationis.

§ 2. Si petitio admissa fuerit, et oppositor agat in gradu appellationis, tenetur legibus pro appellatione statutis; si coram tribunalii quod sententiam tulit, servanda sunt regulae datae pro causis incidentibus iudicialiter definiendis.

Can. 305 (CIC 1899). § 1. Oppositor in quolibet casu probare debet ius suum revera esse laesum aut laesum iri.

§ 2. Laesio autem oriri debet ex ipsa sententia, quatenus aut ipsa sit causa laesionis, aut, si exsecutioni mandetur, oppositorem gravi praediicio sit affectura.

Can. 306 (CIC 1901). Si oppositor ius suum probaverit, sententia antea lata reformanda est a tribunalii secundum oppositoris petitionem.

Art. 4
DE CAUSIS DE STATU PERSONARUM

Can. 307 (CIC 1903). § 1. Numquam transeunt in rem iudicatam causae de statu personarum, haud exceptis causis de coniugum separatione.

§ 2. Appellatio in his causis nullo termino praefinitur; proposita autem post terminum, de quo in can. 287, exsecutionem sententiae non suspendit, nisi aut lex aliter caveat aut tribunal appellationis ad normam can. 310 § 3 suspensionem iubeat.

Can. 308 (novus). § 1. Si duplex sententia conformis, ad normam can. 297 n. 1, in causa de statu personarum prolata sit, potest

quovis tempore ad tribunal appellationis provocari, novis iisque gravibus probationibus vel argumentis intra peremptorium terminum triginta dierum a proposita impugnatione allatis, et servatis de cetero quae de appellatione cann. 287-290 statuunt. Tribunal autem appellationis intra mensem ab exhibitis novis probationibus et argumentis debet, servatis normis de processu summario, decreto statuere utrum nova causae propositio admitti debeat necne.

§ 2. De provocacione ad superius tribunal ad novam causae propositionem obtinendam servanda sunt praescripta cann. 291 § 2, 292, 293 §§ 1-2, 296 de appellatione. Provocatio autem exsecutionem sententiae non suspendit, nisi aut lex aliter caveat aut tribunal appellationis ad normam can. 310 § 3 suspensionem iubeat.

TITULUS X

DE EXPENSIS IUDICIALIBUS ET GRATUITO PATROCINIO

Can. 309 (CIC 1908-1916). Lex particularis debet normas dare:

- 1) de partibus damnandis ad expensas iudiciales aliis partibus vel tribunali restituendas;
- 2) de procuratorum, advocatorum, peritorum et interpretum honorariis;
- 3) de gratuito patrocinio et exemptione ab omnibus expensis, pauperibus concedenda qui impares omnino sint expensis iudicialibus sustinendis; deque expensarum deminutione, iis concedenda qui ex parte tantum impares sint;
- 4) de damnorum refectione, quae debetur ab eo qui, non solum in iudicio succubuit, sed temere litigavit.

TITULUS XI
DE EXECUTIONE SENTENTIAE

Can. 310 (CIC 1917). § 1. Sententia quae transiit in rem iudicatam, executioni mandari potest.

§ 2. Iudex qui sententiam tulit, et, si appellatio proposita sit, etiam iudex appellationis, sententiae, quae nondum transierit in rem iudicatam, provisoriam executionem iubere potest ex officio vel ad instantiam partis, idoneis, si casus ferat, praestitis cautionibus:

1) si agatur de provisionibus seu praestationibus ad necessariam sustentationem ordinatis;

2) si alias iusta urgeat causa.

§ 3. Si tamen sententia, de qua in § 2, n. 1 vel 2, impugnatur, iudex qui de impugnatione cognoscere debet, si videt hanc probabiliter fundatam esse et irreparabile damnum ex executione oriri posse, potest vel executionem ipsam suspendere vel eam cautioni subicere, salvo praescripto can. 302.

Can. 311 (CIC 1918). Non antea executioni locus esse poterit, quam executorium iudicis decretum habeatur, quo edicatur sententiam ipsam executioni mandari debere; quod decretum pro diversa causarum natura vel in ipso sententiae tenore includatur vel separatim edatur.

Can. 312 (CIC 1919). Si sententiae executione praeviam rationum redditionem exigat, quaestio incidens habetur, ab illo ipso iudice decidenda, qui tulit sententiam executioni mandandam.

Can. 313 (CIC 1920). § 1. Nisi lex particularis aliud statuat, sententiam executioni mandare debet per se vel per alium Episcopum dioecesis in qua sententia primi gradus lata est.

§ 2. Quod si hic renuat vel negligat, parte cuius interest instante vel etiam ex officio, executione spectat ad tribunal appellationis.

§ 3. Inter religiosos exsecutio sententiae spectat ad Superiorem, qui definitivam sententiam tulit aut iudicem delegavit.

Can. 314 (CIC 1921). § 1. Exsecutor, nisi quid eius arbitrio in ipso sententiae tenore fuerit permissum, debet sententiam ipsam, secundum obvium verborum sensum, exsecutioni mandare.

§ 2. Licet ei videre de exceptionibus circa modum et vim exsecutionis, non autem de merito causae; quod si habeat aliunde compertum sententiam esse manifeste iniustam vel nullam, abstineat ab exsecutione, et partes ac promotorem iustitiae tribunalis a quo lata est sententia, certiores faciat, ut iuris impugnationibus uti possint.

Can. 315 (CIC 1922). § 1. Quod attinet ad reales actiones, quoties adiudicata actori res aliqua est, haec actori tradenda est statim ac res iudicata habetur.

§ 2. 1) Quod vero attinet ad actiones personales, cum reus damnatus est ad rem mobilem praestandam, vel ad solvendam pecuniam, vel ad aliud dandum aut faciendum, quatuor menses conceduntur pro impleenda obligatione, nisi agatur de provisionibus ad sustentationem necessariis.

2) Lex particularis autem, et ea silente vel permittente, iudex vel exsecutor terminum reducere vel prorogare possunt, ita tamen ut neque infra quindecim dies coarctetur, neque sex menses excedat.

Can. 316 (CIC 1923). In exsecutione peragenda exsecutor caveat ut quam minimum damnato noceatur, eaque de causa incipiat exsecutionem a distrahendis rebus quae minus ei necessariae sunt, salvis semper quae eius victui vel industriae deserviunt; et si agatur de clero, salvis iis quae ad honestam sui sustentationem sunt necessaria, firma tamen eiusdem obligatione creditoribus quamprimum satisfaciendi.

Can. 317 (CIC 1924). Exsecutor utatur prius monitis et praeceptis erga reluctantem; ad poenas autem ne deveniat nisi ex necessitate et gradatim.

PARS TERTIA
DE IUDICIIS SPECIALIBUS

SECTIO I
DE PROCESSU CONTENTIOSO SUMMARIO

Can. 318. § 1. Processu contentioso summario, de quo in hac sectione, debent vel possunt eae tantum causae tractari, quas vel ius commune vel lex a Conferentia Episcopali lata, tractandas esse vel tractari posse statuant.

§ 2. Lex particularis non potest admittere ut processu summario tractentur causae, quas ius commune excludit ab hac processus forma, neque potest excludere a processu summario causas, quas ius commune hac forma tractandas esse statuit; potest autem excludere causas, quas ius commune hac forma tractari permittit.

Can. 319. Processus contentiosus summarius fit in primo gradu coram iudice unico, ad normam can. 23, nisi lex vel in singulis casibus Episcopus, de quo in can. 18 vel 22, aliter statuat.

Can. 320. Etiam in casibus, de quibus in can. 87 § 2, pars potest per se ipsa agere et respondere, nisi iudex procuratoris vel advocati ministerium necessarium existimaverit.

Can. 321. § 1. Libellus quo lis introducitur, praeter ea quae in can. 140 recensentur, debet:

1) facta quibus actoribus petitiones innitantur, breviter, integre et perspicue exponere;

2) probationes quibus actor facta demonstrare intendit, quasque simul afferre non possit, ita indicare ut statim colligi a iudice possint.

§ 2. Libello adnecti debent, saltem in exemplari authentico, documenta quibus petitio innititur.

Can. 322. § 1. Accepto libello iudex in primis satagit ut pacificatio inter partes fiat, vel saltem ut ad compositionem deveniatur, vitatis tamen inutilibus moris.

§ 2. Quando conamen conciliationis incassum cesserit, iudex, si aestimet libellum aliquo fundamento niti, intra tres dies, decreto ad calcem ipsius libelli apposito, praecipiat communicari, notarii cura et quocumque medio efficaci et discreto, exemplar petitionis parti conventae, facta huic facultate mittendi, intra quindecim dies, ad cancellarium tribunalis scriptam responsionem.

§ 3. Haec notificatio effectus habet citationis judicialis de quibus in can. 153.

Can. 323. Si exceptiones partis conventae id exigant, iudex parti actrici praefigat terminum ad respondendum, ita ut ex allatis utrisque elementis ipse controversiae obiectum perspectum habeat.

Can. 324. § 1. Elapsis terminis, de quibus in cann. 322 et 323, iudex, perspectis actis, formulam dubii determinet; dein partes citet ad audientiam, non citra decem nec ultra triginta dies celebrandam, addita citationi dubii formula.

§ 2. In citatione partes certiores fiant se posse, tres saltem ante audientiam dies, aliquod breve scriptum tribunal exhibere ad sua asserta comprobanda; quod si faciant, debent, praeter archetypum, tot tradere exemplaria quot sunt ceterae partes, quibus haec exemplaria quamprimum sunt significanda.

Can. 325. § 1. Probationes colliguntur in audientia, ad quam testes quoque citandi sunt, salvo praescripto can. 17.

§ 2. Pars eiusque advocatus assistere potest excussioni et ceterarum partium et testium.

Can. 326. § 1. In audientia responsiones partium, testium, peritorum, petitiones et exceptiones advocatorum, redigendae sunt scripto a notario, sed summatim et in iis tantummodo quae pertinent ad substantiam rei controversae.

§ 2. Admitti potest usus machinae magnetophonicae, dummodo dein responsiones scripto consignentur et subscribantur a deponentibus.

Can. 327. In audientia primum tractantur quaestiones de quibus in cann. 62-68.

Can. 328. Si in audientia probationes iam admissae colligi haud poterint, vel iudex necessarium duxerit novas probationes colligere, altera statuitur audientia.

Can. 329. Probationes, quae non sint in petitione vel responsione allatae aut petitiae, potest iudex admittere tantum ad normam can. 53; postquam autem vel unus testis auditus est, iudex potest tantummodo ad normam can. 217 novas probationes decernere.

Can. 330. Probationibus collectis, proceditur in eadem audientia ad discussionem oralem.

Can. 331. § 1. Nisi ex discussione quid supplendum in causae instructione comperiatur, vel aliud exsistat quod impedit sententiam rite proferre, causa in fine audientiae decidatur, et dispositiva sententiae pars statim coram partibus praesentibus legatur.

§ 2. Potest autem tribunal propter rei difficultatem vel aliam iustum causam usque ad quintum utilem diem decisionem differre.

§ 3. Integer sententiae textus, motivis expressis, quamprimum, nec ordinarie ultra quindecim dies, partibus notificetur.

Can. 332. Tribunal potest suo decreto normis processualibus, quae non sint ad validitatem statutae, derogare, ut celeritati, salva iustitia, consulat.

Can. 333. § 1. Ad recipiendas appellations competens est tribunal a iure designatum vel a Conferentia Episcopali determinandum.

§ 2. In causis, quae versantur circa privatum tantum partium bonum, tribunal appellationis, si in primo gradu iudex unicus iudicaverit et partes consentiant, potest ex unico iudice constare; secus debet ex tribus iudicibus constitui.

Can. 334. Si tribunal appellationis perspiciat in inferiori iudicii gradu summarium processum esse adhibitum extra casus a iure statutos vel permissos ad normam can. 318, causam iudicare debet secundum ordinarii processus normas; quod si ex non servato processu ordinario sententia nullitate laboret, tribunal appellationis debet nullitatem declarare.

SECTIO II
DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS

TITULUS I
DE CAUSIS AD MATRIMONII NULLITATEM DECLARANDAM

Art. 1
DE FORO COMPETENTI

Can. 335 (CIC 1960). Causae matrimoniales baptizatorum iure proprio ad iudicem ecclesiasticum spectant.

Can. 336 (CIC 1961). Causae de effectibus matrimonii mere civilibus pertinent ad civilem magistratum, nisi ius particulare statuat easdem causas, quando incidenter et accessorie agantur, posse a iudice ecclesiastico cognosci ac definiri.

Can. 337 (CIC 1962 et 1964). § 1. In causis de matrimonii nullitate quae non sint Sedi Apostolicae reservatae competens est:

- 1) tribunal loci in quo matrimonium celebratum est, vel
- 2) tribunal loci in quo pars conventa commorationem non praecariam habeat, quae ex aliquo publico regesto vel alio legitimo modo probari possit, vel
- 3) tribunal loci in quo de facto colligendae sint pleraeque depositiones seu probationes, dummodo accedat consensus tum Ordinarii loci commorationis partis conventae, tum Ordinarii loci et praesidis tribunalis aditi.

§ 2. In casu de quo in praecedenti n. 3, tribunal, antequam causam admittat, exquirat a parte conventa num aliquid excipiendum habeat contra forum aditum a parte actrice.

Art. 2

DE IURE IMPUGNANDI MATRIMONIUM

Can. 338 (CIC 1971). Habiles sunt ad matrimonium impugnandum:

1) coniuges;

2) Promotor iustitiae, in tuitionem publici boni, quando nullitas fundatur in facto de se publico, si matrimonium convalidari nequeat aut non expedit.

Can. 339 (CIC 1972). § 1. Matrimonium quod utroque coniuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis ita praesumitur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi quaestio de validitate praiejudicialis habeatur ad aliam connexam solvendam controversiam.

§ 2. Si autem coniux moriatur pendente causa, servetur can. 159 et 291.

Art. 3

DE OFFICIO IUDICUM ET TRIBUNALIS MINISTRORUM

Can. 340 (novus). Iudex, antequam causam acceptet et quotiescumque spem boni exitus perspiciat, pastoralia media adhibeat, ut coniuges, si fieri potest, ad matrimonium convalidandum et ad vitae communionem restaurandam inducantur.

Can. 341 (novus). § 1. Libello acceptato, praeses vel ponens, nisi alterutra pars expressam litis contestationem petat, intra decem dies formulam dubii vel dubiorum decreto suo statuit ex officio et partibus notificat.

§ 2. Formula dubii non tantum quaerat an constet de nullitate matrimonii in casu, sed determinare debet quo capite vel quibus capitibus nuptiarum validitas impugnetur.

§ 3. Post decem dies a notificatione decreti, si partes nihil opposerint, praeses vel ponens novo decreto causae instructionem disponit.

Can. 342 (novus). Defensori vinculi et insimul patronis partium ius est:

- 1) examini partium, testium et peritorum adesse, salvo praescripto can. 203;
- 2) acta processus, etsi nondum publicati, invisere et documenta a partibus producta recognoscere.

Art. 4

DE PROBATIONIBUS

Can. 343 (CIC 1974-1975). Nisi probationes aliunde plenae habentur, iudex, ad partium depositiones ad normam can. 178 aestimandas, testes de ipsarum partium credibilitate, si fieri potest, adhibeat, praeter alia indicia et adminicula.

Can. 344 (CIC 1976). Nisi gravis causa aliud suadeat, quoties mulier deponere debeat de impotentia vel generatim de re sexuali, quaestiones non a iudice ei proponantur sed a medico, adstante semper iudice.

Can. 345 (CIC 1977-1982). § 1. In causis de impotentia vel de consensus defectu propter mentis morbum iudex unius periti vel plurium opera utatur; in ceteris causis servetur praescriptum can. 222.

§ 2. In corporis inspectione, praesertim si in mulierem fiat, christianae modestiae regulae plene serventur, observatis etiam legis particularis praescriptis.

Art. 5

DE SENTENTIA ET APPELLATIONE

Can. 346 (CIC 1985). Quoties in instructione causae nullitatis matrimonii dubium valde probabile emerserit de non secuta matrimonii consummatione, tribunal potest, suspensa de consensus partium causa nullitatis, instructionem completere pro dispensatione super rato, ac tandem acta transmittere ad S. C. de disciplina Sacramentorum deque Cultu Divino una cum petitione dispensationis ab alterutro vel utroque coniuge et cum voto tribunalis.

Can. 347 (CIC 1986 et 1989). § 1. A sententia, matrimonii nullitatem primum declarante, vinculi defensor appellare debet intra legitimum tempus; quod si facere negligat, acta transmittantur ex officio, auctoritate praesidis, ad tribunal appellationis ad normam can. 290, et ad ulteriora procedatur, tanquam si appellatio a vinculi defensore proposita sit.

§ 2. Vinculi defensor apud tribunal appellationis non potest appellationi adversus primam sententiam, quae matrimonii nullitatem declaraverit, renuntiare; quamprimum autem, accurate perpensis actis, debet scripto declarare utrum contra sententiam impugnatam quidpiam opponendum habeat necne.

§ 3. Perpensis animadversionibus defensoris vinculi, de quibus in § 2, et, si qua sit, partis appellantis, collegium suo decreto vel decisionem impugnatam continenter confirmat vel ad ordinarium examen novi gradus causam admittit.

§ 4. Praescripta can. 308 servanda sunt, etiam si sententia, quae matrimonii nullitatem declaraverit, non altera sententia sed decreto confirmata sit.

Can. 348 (CIC 1987). Postquam sententia, quae matrimonii nullitatem primum declaravit, in gradu appellationis confirmata est vel decreto vel altera sententia, ii, quorum matrimonium declaratum est nullum, possunt novas nuptias contrahere statim ac decretum vel altera sententia ipsis notificata est.

Can. 349 (novus). Si in gradu appellationis novum nullitatis matrimonii caput afferatur, tribunal potest, si nemo contradicat, illud admittere; quod si fiat, de eo iudicabit tanquam in prima instantia.

Can. 350 (CIC 1988). Statim ac sententia facta est exexecutiva, praeses tribunalis debet eandem notificare Ordinario loci in quo matrimonium celebratum est. Is autem curare tenetur ut quantocius de decreta nullitate matrimonii et de vetitis forte statutis in libris tum matrimoniorum tum baptizatorum mentio fiat.

Art. 6
DE PROCESSU MATRIMONIALI SUMMARIO

Can. 351 (CIC 1990). Recepta petitione ad normam can. 341 proposita, Vicarius Iudicialis vel iudex ab ipso designatus potest, praetermissis sollemnitatibus ordinarii processus sed citatis partibus et cum interventu defensoris vinculi, matrimonii nullitatem sententia declarare, cum ex documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni sit obnoxium, certo constet:

- 1) de exsistentia impedimenti dirimentis vel de defectu formae, dummodo pari certitudine pateat dispensationem datam non esse;
- 2) de defectu validi mandati procuratoris.

Can. 352 (CIC 1991). § 1. Adversus hanc declarationem defensor vinculi, si prudenter existimaverit vel vitia de quibus in can. 351 vel dispensationis defectum non esse certa, appellare debet ad iudicem secundae instantiae, ad quem acta sunt transmittenda quique scripto monendus est agi de casu speciali.

§ 2. Integrum manet parti, quae se gravatam putet, ius appellandi.

Can. 353 (CIC 1992). Iudex alterius instantiae, cum interventu defensoris vinculi et auditis partibus, decernet eodem modo de quo in can. 351 utrum sententia sit confirmanda, an potius procedendum in causa sit ad ordinarium tramitem iuris; quo in casu eam remittit ad tribunal primae instantiae.

Art. 7
NORMAE GENERALES

Can. 354 (novus). Causae ad matrimonii nullitatem declarandam nequeunt processu summario tractari, praeter casus de quibus in can. 351.

Can. 355 (novus). In ceteris quae ad rationem procedendi attinent, applicandi sunt, nisi rei natura obstet, canones de iudiciis in genere et de iudicio contentioso in genere, servatis specialibus normis circa causas de statu personarum et causas ad bonum publicum spectantes.

TITULUS II
DE CAUSIS SEPARATIONIS CONIUGUM

Can. 356 (novus). § 1. Separatio personalis coniugum baptizatorum, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum sit, decerni potest:

- a) Ordinarii decreto vel
- b) ecclesiastici iudicis sententia ad normam canonum qui sequuntur.

§ 2. Ubi decisio ecclesiastica effectus civiles non sortitur, vel si sententia civilis praevideatur non contraria iuri divino, Ordinarius commutationis coniugum poterit, singulis in casibus, perpensis peculiaribus adjunctis, licentiam concedere adeundi forum civile.

§ 3. Si causa versetur etiam circa effectus mere civiles matrimonii, satagat iudex ut, servato praescripto § 2, causa inde ab initio ad forum civile deferatur.

Can. 357 (novus). Nisi qua pars vel promotor iustitiae processum contentiosum ordinarium petant, processus contentiosus summarius adhibeatur.

Can. 358 (novus). Quod attinet ad tribunalis competentiam serventur praescripta can. 337.

Can. 359 (novus). Iudex, antequam causam acceptet et quotiescumque spem boni exitus perspiciat, pastoralia media adhibeat, ut coniuges concilientur et ad vitae communionem restaurandam inducantur.

Can. 360 (novus). Causae de coniugum separatione ad publicum quoque bonum spectant; ideoque iis interesse semper debet promotor iustitiae ad normam can. 32.

Can. 361 (novus). In ceteris quae ad rationem procedendi attinent, applicandi sunt, nisi rei natura obstet, canones de iudiciis in genere et de iudicio contentioso in genere, servatis specialibus normis circa causas de statu personarum et causas ad bonum publicum spectantes.

TITULUS III
DE PROCESSU AD DISPENSATIONEM
SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO
OBTINENDAM

Can. 362. Soli coniuges, vel alteruter altero invito, ius habent petendi gratiam dispensationis super matrimonio rato et non consummato.

Can. 363. § 1. Una Sedes Apostolica cognoscit de facto inconsummationis matrimonii et de existentia iustae causae ad dispensationem concedendam.

§ 2. Dispensatio vero ab uno Romano Pontifice conceditur.

Con. 364. § 1. Competentes ad accipiendum libellum, quo petitur dispensatio, sunt Episcopi dioecesani domicilii vel commorationis non precariae oratoris, qui si constiterit de fundamento precum, processus instructionem disponere debent.

§ 2. Si tamen casus propositus speciales habeat difficultates ordinis iuridici et moralis, Episcopus dioecesanus consulat Sedem Apostolicam.

§ 3. Adversus decretum quo Episcopus libellum reicit, patet recursus ad Sedem Apostolicam.

Can. 365. Fermo praescripto can. 346, horum processuum instructionem committat Episcopus, vel stabiliter vel in singulis casibus, tribunali suae vel alienae dioecesis vel idoneo iudici, nisi aliud iure particulari caveatur.

Can. 366. § 1. In his processibus semper intervenire debet vinculi defensor, ad ea explenda quae in can. 31 statuuntur.

§ 2. Patronus autem non admittitur, nisi, propter casus difficultatem, Episcopus permittendum censeat, patroni facultatibus accurate determinatis.

§ 3. Quod si Apostolica Sedes rescripscerit ex deductis non constare de inconsummatione, tunc patronus, a parte electus et ab Episcopo probandus, potest acta processus, non vero votum Episcopi, invisere in sede tribunalis ad perpendendum num aliquid grave proponi possit in supplementum.

Can. 367. In instructione serventur, quatenus fieri possit, canones de probationibus colligendis in iudicio contentioso in genere et

in causis de matrimonii nullitate, dummodo cum horum processum indeole componi queant.

Can. 368. § 1. Non fit publicatio actorum; tamen iudex, quando conspiciat petitioni partis oratricis vel exceptioni partis conventae grave obstaculum obvenire ob adductas probationes, id parti cui interest prudenter patefaciat.

§ 2. Parti instanti documentum allatum vel testimonium receptum iudex auditio Episcopo ostendere poterit et tempus praefinire ad suas deductiones exhibendas.

Can. 369. Clusa instructione per decretum iudicis, acta transmittuntur defensori vinculi, qui suas animadversiones conscribat.

Can. 370. § 1. Iudex instructor ad nullam deveniat decisionem, sed omnia acta cum apta relatione deferat ad Episcopum, qui votum pro rei veritate promat tum super facto inconsuptionis tum super iusta causa ad dispensandum.

§ 2. Si instructio processus commissa fuerit alieno tribunali ad normam can. 365, animadversiones pro vinculo in eodem foro conficiantur, sed votum pro rei veritate spectat ad Episcopum committentem, cui iudex instructor simul cum actis aptam relationem tradat.

Can. 371. § 1. Acta omnia una cum voto Episcopi et animadversionibus defensoris vinculi transmittuntur ad Sedem Apostolicam per illum Episcopum, qui libellum acceptavit.

§ 2. Si, iudicio Apostolicae Sedis, requiratur supplementum instructionis, id eidem Episcopo significabitur, indicatis elementis circa quae instructio complenda est.

§ 3. Quodsi Apostolica Sedes rescribat non constare de inconsuptione, tunc, sub ductu eiusdem Episcopi, inquire potest, servato praescripto can. 366, § 3, num probatio possit aliunde suppleri.

Can. 372. Rescriptum dispensationis a Sede Apostolica transmititur Episcopo qui libellum acceptavit et votum redigit; is vero rescriptum petitori notificabit et praeterea parocho tum loci contracti matrimonii tum suscepti baptismatis sive viri sive mulieris quamprimum mandabit ut in libris matrimoniorum et baptismorum de concessa dispensatione mentio fiat.

TITULUS IV
DE PROCESSU AD MATRIMONII SOLUTIONEM
IN FAVOREM FIDEI

Can. 373. De dissolvendo in favorem fidei matrimonio eorum, quorum alteruter saltem baptizatus non fuerit, una Apostolica Sedes cognoscit, salvis casibus cann. 339-344 (de sacramentis) statutis.

Can. 374. Libellus, quo petitur dissolutio matrimonii in favorem fidei exhibendus est Episcopo dioecesano, de quo in can. 364, servatis ceteris eiusdem canonis praescriptis.

Can. 375. § 1. Instructio ad probandam exsistentiam condiciorum, quae ad dissolutionem concedendam requiruntur, aliarumque circumstantiarum quae utiliter cognosci possunt, committatur tribunali vel iudici ad normam can. 365.

§ 2. Serventur etiam in his processibus praescripta can. 367.

Can. 376. Episcopus dioecesanus omnia acta, una simul cum suo voto et animadversiones defensoris vinculi, Sedi Apostolicae remittat.

SECTIO III
DE COMPROMISSO IN ARBITROS¹

Can. 377. § 1. Ad evitandas iudiciales contentiones, partes possunt convenire ut controversia committatur iudicio unius vel plurium qui quaestionem dirimant.

§ 2. De compromisso deque iudicio arbitrali serventur normae legis civilis a partibus selectae, vel, si partes nullam selegerint, vigentis in loco ubi conventio initur, salvis semper iure divino et iure canonico.

Can. 378. Praeter casus lege civili, de qua in can. 377, § 2, exclusos nequeunt in arbitros valide compromitti controversiae circa eas res vel ea iura, quae ad bonum publicum pertinent, aliaque, de quibus partes libere disponere nequeunt.

Can. 379. § 1. Si lex civilis arbitrali sententiae vim non agnoscat, nisi a iudice confirmetur, sententia arbitralis de controversia ecclesiastica ut vim habeat in foro canonico debet confirmari a iudice ecclesiastico loci in quo sententia lata est.

§ 2. Si autem lex civilis admittat sententiae arbitralis coram civili iudice impugnationem, in foro canonico eadem impugnatio proponi potest coram iudice ecclesiastico, qui in primo gradu competens est ad controversiam iudicandam.

¹ Cfr. cann. 1929-1932 CIC.

PARS QUARTA
DE IUDICIO CRIMINALI¹

Art. 1
DE PRAEVIA INVESTIGATIONE

Can. 380. § 1. Quoties Ordinarius notitiam, saltem veri similem, habeat de delicto, caute inquirat, per se vel per iudicem aliumve idoneum hominem, circa facta et circumstantias et circa imputabilitatem.

§ 2. Cavendum est ne ex hac investigatione bonum cuiusquam nomen in discriminem vocetur.

§ 3. Qui investigationem agit, easdem habet, quas auditor in processu, potestates et obligationes; idemque nequit, si postea iudicialis processus promoveatur, in eo iudicem agere.

Can. 381. § 1. Cum satis collecta videantur elementa, deliberet Ordinarius:

1) num processus ad poenam irrogandam vel declarandam promoveri possit;

2) num id, attento can. 27 (schematis generalis de delictis et poenis), expediat;

3) utrum processus iudicialis sit adhibendus an sit procedendum per decretum extra iudicium.

§ 2. Ordinarius decretum, de quo in § 1, revocet vel mutet, quoties ex novis elementis aliud sibi decernendum videatur.

§ 3. In ferendis decretis, de quibus in §§ 1 et 2, audiat Ordinarius, si ipse prudenter censeat duos iudices aliosve iuris peritos.

§ 4. Antequam ad normam § 1 deliberet, consideret Ordinarius num, ad vitanda inutilia iudicia, expediat ut, partibus consentientibus, vel ipse vel investigator quaestionem de damnis ex bono et aequo dirimat.

Can. 382. § 1. Si delictum puniri non possit nisi praecesserit querela partis laesae, Ordinarius processum, ad normam can. 381, promovere non potest, nisi parte laesa scripto petente.

§ 2. Revocata autem querela, actio criminalis extinguitur.

¹ Cfr. CIC cann. 1933-1959.

Can. 383. Investigationis acta et Ordinarii decreta, quibus investigatione initur vel clauditur, eaque omnia quae investigationem praecedunt, si necessaria non sint ad criminalem processum, in secreto curiae tabulario custodiantur, servato praescripto can. (379 § 1 C.I.C.).

Art. 2
DE PROCESSUS EVOLUTIONE

Can. 384. § 1. Si Ordinarius decreverit processum criminalem iudicialem esse ineundum, acta investigationis promotori iustitiae tradat, qui accusationis libellum iudici ad normam cann. 138 et 140 exhibeat.

§ 2. Coram tribunali superiore, sive in iudicio de admittendo libello sive in iudicio de impugnatione, partes actoris gerit promotor iustitiae apud illud tribunal constitutus.

Can. 385. § 1. Iudex reum citans debet eum invitare ad advocatum, ad normam can. 87, § 1, intra terminum ab ipso iudice prae finitum, sibi constituendum.

§ 2. Quodsi reus non providerit, iudex ante litis contestationem advocatum ipse nominet, tandem in munere mansurum quandiu reus sibi advocatum non constituerit.

Can. 386. § 1. In quolibet iudicij gradu renuntiatio instantiae fieri potest a promotore iustitiae, mandante vel consentiente Ordinario, ex cuius deliberatione processus promotus est.

§ 2. Renuntiatio, ut valeat, debet a reo acceptari, nisi ipse sit absens a iudicio.

Can. 387. In causae discussione, sive scripto haec fiat sive ore, accusatus semper ius habeat ut vel ipse vel suus advocatus vel procurator postremus scribat vel loquatur.

Can. 388. In quolibet criminalis iudicij gradu et stadio, si evidenter constet delictum non esse a reo patratum, iudex debet id sententia declarare et reum absolvere, etiamsi simul constet actionem criminalem esse extinctam.

Art. 3
DE ACTIONE AD DAMNA REPARANDA

Can. 389. § 1. Pars laesa potest actionem contentiosam ad damna reparanda ex delicto sibi illata in ipso criminali iudicio exercere, ad normam can. 252.

§ 2. Interventus partis laesae, de quo in § 1, non amplius admittitur, si factus non sit in primo iudicij criminalis gradu; neque potest pars laesa oppositionem tertii adversus sententiam latam in iudicio criminali proponere.

§ 3. Appellatio in causa de damnis fit ad normam cann. 285-296 etiamsi appellatio in criminali iudicio fieri non possit; quodsi utraque appellatio, licet a diversis partibus proponatur, unicum fiat, salvo praescripto can. 390, iudicium appellationis.

Can. 390. § 1. Ad nimias criminalis iudicij moras vitandas potest iudex iudicium de damnis differre usque donec sententiam definitivam in iudicio criminali protulerit.

§ 2. Iudex, qui ita egerit, debet, post latam sententiam in criminali iudicio, de damnis cognoscere, etiamsi iudicium criminale propter propositam impugnationem adhuc pendeat, vel si reus absolutus sit propter causam quae non auferat obligationem reparandi damna.

Can. 391. Sententia lata in criminali iudicio, etiamsi in rem iudicatam transierit, nullo modo ius facit erga partem laesam, nisi haec intervenerit ad normam can. 390.

Art. 4
DE IMPUGNATIONIBUS

Can. 392. § 1. Appellationem proponere potest reus, nisi de aliquo (sententiae) capite iam duplex habeatur sententia conformis:

- 1) si sententia poenalem sanctionem irrogaverit vel declaraverit;
- 2) si sententia reum ideo tantum dimiserit, quia poena erat facultativa, vel quia iudex potestate usus est, de qua in cann. (12 § 2, et 30 schematis generalis de delictis et poenis).

§ 2. Promotor iustitiae appellare potest, quoties sententia nullam

poenalem sanctionem in reum irrogaverit vel declaraverit, nisi duplex habeatur de ea re conformis sententia.

§ 3. Si reus de pluribus delictis est accusatus, normae §§ 1 et 2 separatim de unoquoque delicto sunt applicandae.

Can. 393. § 1. Promotore iustitiae appellante et appellationem prosequente, iudex appellationis debet statim, auditio suo promotore iustitiae, videre num forte appellatio fundamento evidenter careat, ideoque in limine sit reicienda.

§ 2. Promotori iustitiae tribunalis appellationis firmum manet officium et ius, de quo in can. 386.

Can. 394. Querela nullitatis sanabilis, de qua in can. 279, nisi proponatur una cum appellatione, proponenda est intra tres menses a die quo sententia publicata est.

Can. 395. Restitutio in integrum propter motiva, quae in can. 299 § 2, nn. 1-3 recensentur, ab uno reo peti potest; propter legis praescriptum evidenter neglectum peti potest intra tres menses a die quo sententia publicata est.

Art. 5

NORMA GENERALIS

Can. 396. § 1. Salvis praescriptis canonum huius tituli, in iudicio criminali applicandi sunt, nisi rei natura obstet, canones de iudiciis in genere et de iudicio contentioso in genere, servatis specialibus normis de causis quae ad bonum publicum spectant.

§ 2. Accusato nullum iusurandum deferri potest.

* * *

Animadvertisenda:

Consultores votum fecerunt ut in alia parte Codicis haec norma inseratur:
« Ad scandala praevenienda, ad testium libertatem protegendarum, ad iustitiae cursum tutandum, potest Ordinarius, auditio promotore iustitiae et citato ipso accusato, in quolibet processus stadio accusatum a sacro ministerio vel ab aliquo officio vel munere ecclesiastico arcere, ei imponere vel interdicere commemorationem in aliquo loco vel territorio, vel etiam publicam sacrae Synaxis participationem prohibere; quae omnia, causa cessante, sunt revocanda, eaque ipso iure finem habent, cessante processu criminali ».

PARS QUINTA
DE PROCESSIBUS ADMINISTRATIVIS

SECTIO I

DE PROCEDURA ADMINISTRATIVA IN GENERE
(cann. 397-435)

Haec pars examini Dicasteriorum Curiae Romanae, Conferentiarum Episcoporum, aliorumque coetuum iam subiecta est.

SECTIO II
*DE PROCEDURA IN PAROCHIS AMOVENDIS
VEL TRANSFERENDIS¹*

Art. 1

DE MODO PROCEDENDI IN AMOTIONE PAROCHORUM

Can. 436. Cum alicuius parochi ministerium ob aliquam causam, etiam citra gravem ipsius culpam, noxiū aut saltem inefficax evadat, potest ipse ab Episcopo dioecesano, non autem a Vicario generali nisi mandatum speciale habeat, a paroecia amoveri.

Can. 437. Iustae causae, ob quas parochus a sua paroecia legitime amoveri potest, hae praesertim sunt:

- 1) modus agendi qui ecclesiā communione grave detrimentum vel perturbationem afferat;
- 2) imperitia aut permanens mentis vel corporis infirmitas, quae parochum suis muneribus utiliter obeundis imparem reddit;
- 3) bonae existimationis amissio vel aversio christifidelium in parochum, quamvis iniustae et non universales, quae praevideantur non brevi cessurae;
- 4) mala rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae damno, quoties huic malo aliud remedium afferri nequeat.

Can. 438. Peracta ab Episcopo instructione et re cum duobus sacerdotibus, praesertim examinatoribus synodalibus aut sodalibus consilii presbyteralis, discussa, Episcopus causis et argumentis indicatis, parocho paterne suadeat ut intra tempus quindecim dierum renuntiet.

Can. 439. § 1. Renuntiatio a parocho fieri potest non solum pure et simpliciter, sed etiam sub conditione, dummodo haec ab Episcopo legitime acceptari possit et reapse acceptetur.

¹ Cfr. cann. 2147-2167 CIC.

§ 2. Renuntiatio, ut valida sit, fieri debet a parocho aut scripto aut ore tenus coram duobus testibus; aut etiam per procuratorem speciali in scriptis mandato munitum; et renuntiationis documentum in Curia deponatur.

Can. 440. § 1. Si parochus intra praestitutos dies non responderit, etsi constet invitationem parocho innotuisse et ipsum impeditum non fuisse quominus responderet, Episcopus iteret invitationem prorogando tempus utile ad respondendum.

§ 2. Si Episcopo constiterit parochum alteram invitationem receperisse, non autem respondisse quamvis nullo impedimento detentum, aut si parochus renuntiationem nullis adductis motivis recuset, Episcopus decretum amotionis ferat.

§ 3. Si vero parochus motiva adducit ut obsistat renuntiationi, Episcopus ad normam canonum sequentium procedat.

Can. 441. § 1. Episcopus parochum invitet ut scriptam brevem relationem exhibeat ad causas et probationes oppugnandas, adductis forte aliis probationibus.

§ 2. Si deinde Episcopus censeat ad ulteriora esse procedendum, ad audientiam citet parochum et testes a se et a parocho inductis.

§ 3. In audientia munus assessoris habere debent duo sacerdotes de quibus in can. 438, nisi propter eorum impossibilitatem alii sint designandi.

Can. 442. § 1. Probationibus collectis et parocho facto iure inspiciendi acta et respondendi, Episcopus, auditis suis assessoribus, statuat an decretum amotionis sit ferendum necne.

§ 2. Decretum scripto feratur, expressis, saltem summarie, motivis; quod si forte gravissima ratio obstet, ne motiva patefiant, haec in secreto documento exprimantur, quod ei, qui de recursu forte adversus decretum proposito videbit, erit ostendendum.

Can. 443. Amoto parocho Episcopus, sacerdotibus de quibus in can. 447 in consilium adscitis, pro viribus consulat sive translatione ad aliam paroeciam vel assignatione alias officii aut beneficii, si ad haec idoneus sit, sive pensione, prout casus ferat et adjuncta permittant.

Can. 444. § 1. Parochus amotus debet a parochi munere exercendo abstinere, quamprimum liberam relinquere paroecialem domum, et omnia quae ad paroeciam pertinent ei trahere, cui Episcopus paroeciam commiserit.

§ 2. Pendente recursu adversus amotionis decretum, Episcopus non potest novum parochum nominare, sed per Vicarium substitutum interim provideat.

Art. 2

DE MODO PROCEDENDI IN TRANSLATIONE PAROCHORUM

Can. 445. Si bonum animarum vel Ecclesiae necessitas seu utilitas postulet ut parochus a sua, quam utiliter regit, ad aliam paroeciam aut ad aliud officium transferatur, Episcopus eidem translationem proponat ac suadeat ut eidem pro Dei atque animarum amore consentiat.

Can. 446. Si parochus consilio ac suasionibus Episcopi non obsequatur, rationes in scriptis exponat.

Can. 447. Episcopus, si, non obstantibus allatis causis, iudicet a proposito non esse recedendum, cum duobus sacerdotibus dioecesanis, ad normam can. 438 seligendis, causas discutiat et rationes quae translationis utilitatem vel necessitatem ostendere videntur; iisque auditis, si translationem peragendam censeat, paternas exhortationes parocho iteret.

Can. 448. § 1. His peractis, si parochus adhuc renuat et Episcopus adhuc putet translationem esse faciendam, parocho praecipiat ut intra certum tempus ad novum se conferat officium, eidem in scriptis significans, elapso praefinito tempore, paroeciam, quam in praesens obtinet, ipso facto vacaturam esse.

§ 2. Hoc tempore inutiliter transacto, paroeciam vacantem declaret.

Can. 449. In casu translationis serventur cann. 443 et 444.

INDEX

<i>Praenotanda</i>	v
--------------------	---

PARS PRIMA DE IUDICIIS IN GENERE

De iudiciis in genere	1
Titulus I - DE FORO COMPETENTI	2
Titulus II - DE VARIIS TRIBUNALIUM GRADIBUS ET SPECIEBUS	5
Caput I - <i>De tribunali ordinario primae instantiae</i>	5
Art. 1 - De iudice	5
Art. 2 - De auditoribus et relatoribus	8
Art. 3 - De promotore iustitiae et vinculi defensore	8
Art. 4 - De aliis tribunalis ministris	10
Caput II - <i>De tribunali ordinario secundae instantiae</i>	10
Caput III - <i>De ordinariis Apostolicae Sedis tribunalibus</i>	11
Titulus III - DE DISCIPLINA IN TRIBUNALIBUS SERVANDA	13
Caput I - <i>De officio iudicium et tribunalis ministrorum</i>	13
Caput II - <i>De ordine cognitionum</i>	16
Caput III - <i>De terminis et dilationibus</i>	18
Caput IV - <i>De loco et tempore iudicii</i>	18
Caput V - <i>De personis ad disceptationem iudiciale admittendis et de modis conficiendi et conservandi acta</i>	19
Titulus IV - DE PARTIBUS IN CAUSA	21
Caput I - <i>De actore et de reo convento</i>	21
Caput II - <i>De procuratoribus ad lites et advocatis</i>	22
Titulus V - DE ACTIONIBUS ET EXCEPTIONIBUS	26
Caput I - <i>De sequestratione et inhibitione exercitii iuris atque de alienamentis praestandis</i>	27
Caput II - <i>De actionibus ex novi operis nuntiatione et damno infecto vel compensando</i>	28
Caput III - <i>De actionibus ob nullitatem actorum</i>	29
Caput IV - <i>De actionibus rescissoriis</i>	29
Caput V - <i>De actionibus reconventionalibus</i>	30
Caput VI - <i>De actionibus seu remediis possessoriis</i>	30
Caput VII - <i>De extinctione actionum</i>	32

PARS SECUNDA
DE IUDICIO CONTENTIOSO IN GENERE

Titulus I - DE CAUSAE INTRODUCTIONE	33
Caput I - <i>De libello litis introductorio</i>	33
Caput II - <i>De citatione et denuntiatione actuum iudicialium</i>	34
Titulus II - DE LITIS CONTESTATIONE	38
Titulus III - DE LITIS INSTANTIA	39
Titulus IV - DE PROBATIONIBUS	41
Caput I - <i>De declarationibus partium</i>	41
Caput II - <i>De probatione per documenta</i>	43
Art. 1 - De productione documentorum et actione ad exhibendum	44
Caput III - <i>De testibus et attestationibus</i>	44
Art. 1 - Qui testes esse possint	45
Art. 2 - De inducendis et excludendis testibus	45
Art. 3 - De iurejurando testium	46
Art. 4 - De testium examine	47
Art. 5 - De testimoniorum evulgatione eorumque reprobatione . .	48
Art. 6 - De indemnitate testium	49
Art. 7 - De testimoniorum fide	50
Caput IV - <i>De peritis</i>	50
Caput V - <i>De accessu et de recognitione iudicali</i>	52
Caput VI - <i>De praesumptionibus</i>	53
Titulus V - DE CAUSIS INCIDENTIBUS	54
Art. 1 - De partibus non comparentibus	55
Art. 2 - De interventu tertii in causa	56
Art. 3 - De attentatis lite pendente	56
Titulus VI - DE PROCESSUS PUBLICATIONE - DE CONCLUSIONE IN CAUSA ET DE CAUSAE DISCUSSIONE	57
Titulus VII - DE IUDICIS PRONUNTIATIONIBUS	59
Titulus VIII - DE IMPUGNATIONE SENTENTIAE	62
Art. 1. De querela nullitatis contra sententiam	62
Art. 2 - De appellatione	63
Titulus IX - DE RE IUDICATA ET DE IMPUGNATIONIBUS CONTRA IPSAM	67
Art. 1 - De re iudicata	67
Art. 2 - De impugnationibus adversus rem iudicatam	67
Art. 3 - De oppositione tertii	69
Art. 4 - De causis de statu personarum	69

Titulus X - DE EXPENSIS IUDICIALIBUS ET GRATUITO PATROCINIO	71
Titulus XI - DE EXECUTIONE SENTENTIAE	72

PARS TERTIA
DE IUDICIIS SPECIALIBUS

Sectio I - <i>De processu contentioso summario</i>	74
Sectio II - <i>De causis matrimonialibus</i>	77
Titulus I - DE CAUSIS AD MATRIMONII NULLITATEM DECLARANDAM	77
Art. 1 - De foro competenti	77
Art. 2 - De iure impugnandi matrimonium	78
Art. 3 - De officio iudicum et tribunalis ministrorum	78
Art. 4 - De probationibus	79
Art. 5 - De sententia et appellatione	79
Art. 6 - De processu matrimoniali summario	81
Art. 7 - Normae generales	81
Titulus II - DE CAUSIS SEPARATIONIS CONIUGUM	82
Titulus III - DE PROCESSU AD DISPENSATIONEM SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO OBTINENDAM	83
Titulus IV - DE PROCESSU AD MATRIMONII SOLUTIONEM IN FAVOREM FIDEI	85
Sectio III - <i>De compromisso in arbitros</i>	86

PARS QUARTA
DE IUDICIO CRIMINALI

Art. 1 - De praevia investigatione	87
Art. 2 - De processus evolutione	88
Art. 3 - De actione ad damna reparanda	89
Art. 4 - De impugnationibus	89
Art. 5 - Norma generalis	90

PARS QUINTA
DE PROCESSIBUS ADMINISTRATIVIS

Sectio I - <i>De procedura administrativa in genere</i>	91
Sectio II - <i>De procedura in parochis amovendis vel transferendis</i>	92
Art. 1 - De modo procedendi in amotione parochorum	92
Art. 2 - De modo procedendi in translatione parochorum	94

